SYNODUS DIOECESANA
POLYCASTRENSIS


HABITA FERIA TERTIA INFRA OCTAVAM PENTECOSTES,
ET PRIMA IUNII 1830

SUB PRAESULATU

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

NICOLAI MARIAE LAUDISII

COMMENDATORIS REGALIS ORDINIS FRANCISCI I.
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS SAC. TH. MAGISTRI
MISERATIONE DIVINA ET APOSTOLICAE S. SEDIS GRATIA
OLIM BOVEN, NUNC POLICASTREN EPISCOPI,
TERRARUM TURRIS URSAYAE ET CASTRI ROGERII,
ATQUE FEUDI SELEUCII
UTILIS DOMINI AC BARONIS etc.



NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA DE DOMINICIS
1831.

**Deus stetit in Synagoga Deorum:
In medio autem Deos dijudicat.**
Psalm. 81 *v.* 1.

Illmo, e Rmo Signore

Ho rassegnato a S. M. gli atti del Sinodo Diocesano da V. S. Illma, e Rma convocato in cotesta sua Cattedrale nel giorno primo del trascorso giugno; e la M. S. nel Consiglio ordinario di Stato del dì 12. del corrente mese, manifestando la sua Sovrana soddisfazione per il pregio, che contengono in generale i provvedimenti in tal Sinodo dettati, si è degnata di permettere la pubblicazione degli

atti dello stesso; salvo ciò che i medesimi potessero contenere di lesivo alla Reale Giurisdizione direttamente, o indirettamente, alle supreme Regalie, ed alle Leggi del Regno—

Nel Real Nome lo partecipo a V. S. Illma, e Rma per sua intelligenza, e regolamento. Napoli 16. ottobre 1830—

Il Marchese Tommasi—

Monsignor Vescovo di Policastro.

INDICTIO SYNODI DIOECESANAE

NOS NICOLAUS MARIA LAUDISIUS

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS
SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER,
MISERATIONE DIVINA, ET APOST. SEDIS GRATIA,
OLIM BOVENSIS, NUNC POLYCASTREN EPISCOPUS,
TERRARUM TURRIS URSAYAE, CASTRI ROGERII,
AC FEUDI SELEUCII UTILIS DOMINUS, ET BARO,
NEC NON REGALIS ORDINIS
FRANCISCI PRIMI
COMMENDATOR, ET EQUES.

Praeter decreta Conciliorum Lateranensis IV. Canone VI. et Basiliensis Sessione XV. Sacrosancti Concilii Tridentini Patres, in Capitulo XI. de reformatione, iterum statuerunt; Episcopum, ad mores, et Ecclesiasticam disciplinam

reformandam, Dioecesanam Synodum cum suo Capitulo, et Clero non semel celebrare. Huic saluberrimae sanctioni nos morem gerentes, primam pro Nostra Dioecesi Synodum in feria tertia infra octavam Pentecostes, quae erit dies prima junii currentis anni, in hac Nostra Ecclesia Cathedrali, per praesentes licteras in Nomine Jesu Christi, Virginisque in Coelum Assumptae, habendam indicimus. Ad hoc opus tam praeclarum, tam grave, sanctumque, nedum Nostrae Cathedralis Dignitates, et Canonicos, omnesque Nostrae Ditionis Archipraesbyteros Curatos, Cantores, et Vicarios foraneos, signanter advocamus, verum etiam caeteros, sive de jure, sive de consuetudine interesse solitos; qui cuncti hora decima diei sub poenis a jure comminatis, habitu talari, propriisque insignibus induti, ad praedictam Cathedralem Polycastri personaliter accedant.

Mandamus autem, ut si quis de praefatis legitime impeditus personaliter convenire nequeat, de ipso impedimento saltem ante quinque dies celebrationis Synodi, in scriptis Nostram Curiam admoneat, et post Nostram adprobationem, suum procuratorem cum speciali mandato, suas vices supplendas, mittat.

Et quoniam Spiritus Sanctus est luminum Pater, rectorumque judiciorum suggestor, ne Nostra infirmitas in Synodalibus Constitutionibus sit errori obnoxia, in Domino praecipimus, ut a singulis Sacerdotibus in qualibet Missa addatur collecta de Spiritu Sancto, et quotidie post visitationem SS. Sacramenti devote recitentur Litaniae Beatae Mariae semper virginis, ad Ejus patrocinium in opere quod aggredimur impetrandum.

Denique mandamus, ut praesens Indictio a die publicationis, usque ad Synodi celebrationem in valvis Nostrae

Ecclesiae Cathedralis affixa maneat, et sic in caeteris Ecclesiis Parochialibus totius Nostrae jurisdictionis, veluti singulis fuerit personaliter notificata.

Datum Polycastri die vigesima quarta mensis aprilis 1830.

NICOLAUS M.ª EPISCOPUS POLYCASTREN

Can. Franciscus Polito de Rosa
a Secretis.

ALLOCUTIO

Habita ab Illmo, et Revmo Episcopo.

Jam usque a Christi Apostolorum aevo, dilectissimi Fratres, venerabiles Consacerdotes, et Filii, mos salutaris invaluit, ad Divinum cultum reparandum, erroresque conterendos, Sacra instituendi Comitia in Ecclesia Dei. Hoc praeclarum, et perutile Apostolicae Sapientiae inventum, tot Apostolorum successores opere, et sermone potentes, prosecuti sunt; et nihil satius, et salubrius ad propugnandam pietatem, et disciplinam instaurandam judicarunt, quam Episcopus, accito Presbyterorum Senatu, re, et pontificiis sanctionibus mature perpensis, ex suggestu leges pro recto tam Cleri, quam Populi commissi regimine, Spiritu Sancto adjuvante, emanare. Et revera si olim apud Quirites celebrari testamenta consueverunt, Kalatis Comitiis, idest Curiis, et Plebe convocata; quanto potius hi Ecclesiastici Consessus erunt celebrandi,

in quibus de nostri Reparatoris Christi supremo Testamento tractatur? Haud Nos fallebat ingens emolumentum, quod gregis Nobis concredito, allatura esset coacta in Domino Dioecesana Synodus. Distulimus hucusque, non ex socordia, sed aliis curis, et Episcopalibus functionibus distenti: at magis operae pretium duximus Dioecesim prius Pastorali visitatione collustrare, ut propriis oculis, quid fovendum, quid corripiendum, quid reformandum foret, prospiceremus.

Nunc igitur, Divina gratia aspirante, collectum cernentes hunc venerabilem Coetum, vos alloquimur, et vos Fratres Coadjutores exposcimus, nam Nobis, Vobisque par imminet Divinae ultionis periculum, si nostrae, et proximorum aeternae saluti, non serio attendamus. Congregati itaque hodie in nomine Domini, junctis animis, et consiliis, coram Jesu-Christo, *qui in medio Nostri esse spopondit, ea statuamus, quae lappas evellere, urticas eradicare, vepresque noxios extirpare valeant; ita ut renascantur, si forte cecidere virtutes, et Clerici, simulque Laici in ipsis de die in diem, Domino opitulante, proficiant. Hoc inspexit Salvator noster; ad hoc tot labores, itinera, et acerbissimi cruciatus collimarunt; hoc copiosae redemptionis admirabile opus, reductio filiorum Adae ad meliorem frugem, rectosque repetendos calles, unde infeliciter exciderunt. Negotium ergo, quod hodie agitur, quam maximum, et gravissimum est, ani-*

marum nempe quaestus, pro quibus redimendis Christus-Dominus *infiniti sanguinis pretium prodigus, et libenter erogavit.*

Denique non labiis, sed corde, Vos charissimos Fratres, et Conseniores, in Domino obtestamur, ut vestro exemplo, zelo, et solertia haec Synodalia instituta, quibus manum admovemus, opere compleri satagatis. Non perfunctoria lectione raptim oculus vester percurrat; sed sicut paginis imprimenda erunt per prelum, sic cordibus imprimantur per zelum, et fideli custodia, et vivo opere animentur. Haec in tabulis cordis scribite; neque id satis: ligate in digitis vestris, et quasi oculorum vestrorum pupillam scrupulose servate, ut Deus pacis, et veri solatii jugiter habitabit vobiscum.

Superest tantummodo, sursum corda nostra, mentemque nostram ad Spiritum Sanctum Paraclytum erigamus, et ab ipso humiles, supplices postulemus, ut Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus sapientiae, et pietatis super Nos copiose descendat; et suo lumine quaecumque recta sunt, pudica, justa, et amabilia decernamus. Cum fiducia pariter Virginem Matrem *in Coelum assumptam, hujus Ecclesiae Cathedralis, et totius nostrae ditionis spiritualis singularem Patronam invocemus, ut Ipsa, quae est* Sedes Sapientiae, *huic Coetui in nomine Filii ejus* Jesu-Christi *congregato, clemens, et benigna intersit; ejusque potentissimo patrocinio, hostili nullatenus incursione tur-*

betur. SPIRITU-SANCTO *igitur Duce, et Magistro, et sub auspiciis Virginis Sponsae, corde impavido, praesentem Sanctam Synodum inchoemus; et rati simus, quia fines, quos ultra, et citra, nequit consistere rectum, nullo modo praeteribimus. Cum hoc sancto desiderio, Vobis Nostram Pastoralem Benedictionem impartimur; in nomine* PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS-SANCTI. *Amen.*

PARS I.

HABITA FERIA TERTIA INFRA OCTAVAM PENTECOSTES, ET PRIMA JUNII 1830.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Episcopus Pontificalibus insignibus, prout ex Pontificali Romano, indutus, ab Aula Episcopali processionaliter Capitulo, Clero universae Dioecesis, caeterisque de jure comitantibus, ad Ecclesiam Cathedralem dicta die perrexit; ibique Campanarum, et organi festivo sonitu receptus, sumptaque a Reverendissimo Archidiacono Aqua benedicta, qua Canonicos, reliquos de Clero, aliosque adstantes aspersit: deinde in Sacello SS. Sacramenti Oratione facta ad Altare majus processit, in quo Missa de Spiritu Sancto solemniter celebrata, allocutione ad Clerum, et reliquis juxta praescriptum Pontificalis Romani adimpletis, ut sequentia Decreta ab Episcopalis Curiae Cancellario promulgarentur in Domino jussit.

DE SYNODO INCHOANDA.

Nos Nicolaus Maria Laudisius Dei, et Apostolicae Sedis Gratia Policastri Episcopus huic primae nostrae Dioecesanae Synodo sub faustis

auspiciis Salvatoris Nostri Jesu Christi, Matrisqe in Coelum Assumptae Patronae, manum admovemus, quorum ope, Cleri, Populique nostri mores reformandos, ac Christianam Pietatem roborandam, nihil haesitantes, confidimus.

DECRETUM PRIMUM.

De praejudicio praesenti Synodo non inferendo.

Si forte quis non suo ordine nominari, vel loco non suo sedere, incedere contingerit, volumus, ut nemini praejudicium inferatur, et nemo novum Jus acquirat; ideo omnia in eo statu remaneant, in quo ante Synodi inchoationem inveniebantur. Nullus item discedere praesumat, nisi cunctis Synodi functionibus omnino peractis.

DECRETUM SECUNDUM.

De Synodi Officialibus.

Ut in praesenti Dioecesana Synodo, omnia serventur, quae Sacri Canones, et praesertim Concilium Toletanum IV. decernit, ejusdem Synodi quosdam Officiales deputamus, quibus decretorum, Scripturarum, Personarum, aliarumque rerum Synodalium per singulas partes cura demandatur. Sunt videlicet.

SYNODI PROMOTOR.

Rev. Laurentius Pignatari Archidiaconus Curatus Nostrae Cathedralis Ecclesiae, et prima Dignitas.

SYNODI SECRETARIUS.

Rev. D. Franciscus Polito de Rosa Nostrae Cathedralis Canonicus.

MAGISTER CERIMONIARUM.

Rev. D. Carolus Maria de Cusatis humanarum litterarum in Nostro Seminario Magister, ejusque coadjutor Diaconus Joseph Grisi.

HOSPYTALIUM PRAEFECTUS.

Rev. D. Fabricius Pecorelli Nostrae Cathedralis Canonicus; ejusque coadjutores Hebdomodarius D. Gherardus Bruno, et Novitius Andreas Cobucci.

SYNODI NOTARII.

Rev. D. Ferdinandus Mariosa Lector Juris Canonici in Nostro Seminario, et D. Petrus Pecorelli in eodem Seminario Magister ingenuarum artium.

JUDICES QUERELARUM.

Rev. Canonicus Theologus Dominicus Menta, et Nicolaus Brunto Nostrae Cathedralis Canonicus.

PROCURATOR CLERI.

Rev. D. Carmelus Savini Cathedralis Ecclesiae Canonicus.

DECRETUM TERTIUM.

Mandat Sacrosancta Tridentina Synodus in Ses. xxv. de reform. Cap. x. ut in Synodo Judices eligerentur, quibus Caussae Spirituales, et Ecclesiasticae Ecclesiasticum Forum respicientes, committi possint. Hinc huic sanctioni obtemperantes, ut infra deputamus.

Rev. D. Fabritium Pecorelli Ecclesiae Cathedralis Canonicum.

Rev. D. Carmelum Savino Ecclesiae Cathedralis Canonicum.

Rev. D. Nicolaum Brunto Ecclesiae Cathedralis Canonicum.

Rev. D. Franciscum Antonium Liguori Ecclesiae Cathedralis Canonicum.

Rev. D. Antonium del Duca Ecclesiae Cathedralis Canonicum.

Rev. D. Thomam Galietti Ecclesiae Cathedralis Canonicum.

DECRETUM QUARTUM.

De Examinatoribus Synodalibus.

Sacrosanctum Concilium Trident. Sess. XXIV. Cap. VIII. statuit nullum ad Parochiale Beneficium eligi, nisi praevio examine seu concursu coram tribus Examinatoribus in Synodo adprobatis. Decrevit insuper praedictos inter Ecclesiasticos doctiores, prudentiores, magisque pietate fulgentes, seligendos esse, qui pariter de munero fideliter exercendo ad S. Dei Evangelia jurare teneantur. Horum partes sunt ad trutinam non solum concurrentium peritiam revocare, sed quoque, Episcopo Praesidente, eorum aetatem, prudentiam, requisita, et caetera, quae pro recto Parochiae regimine necessaria arbitrantur. Nos itaque huic Conciliari Decreto inhaerentes, nominamus, ut sint.

EXAMINATORES SYNODALES.

Rm̄us D. Paschalis Canonicus Greco Ab. S. Antonii pro-Vicarius generalis, et Rector Venerabilis Clericorum Seminarii Dioecesani.

Rm̄us D. Laurentius Pignatari Archidiaconus, et prima Dignitas Nostrae Cathedralis Ecclesiae.

Rm̄us U. J. D. D. Joseph Joachim Myele Cantor, et secunda Dignitas Nostrae Cathedralis Ecclesiae.

Rm̄us D. Dominicus Menta Canonicus Theologus Nostrae Cathedralis Ecclesiae, et Vicarius generalis Bosci nullius.

Rm̄us D. Franciscus Polito de Rosa Nostrae Cathedralis Ecclesiae Canonicus, et Synodi Secretarius.

Rm̄us D. Josephus Maria Bortono Nostrae Cathedralis Ecclesiae Canonicus Poenitentiarius, et Lector Sacrae Theologiae in Nostro Seminario.

Admodum Rev. D. Rosarius Archip. Curatus Laurea.

Adm. Rev. D. Vincentius Rizzi Ab. et Archip. Curatus Lacusliberi.

Adm. Rev. D. Ludovicus Giffoni Archipr. Vibonatorum.

Adm. Rev. D. Clemens Finamore Cantor Rocchittae.

Rev. D. Blasius Lentini Laureae.

Rm̄us D. Jacobus Antonius Rossi Canonicus honorarius Rivelli, olim proprietarius.

Rm̄us D. Vincentius Cartolano Archip. Curatus Turturellae, et Can. hon.

Rm̄us D. Conus la Falce Can. hon. et Archip. Curatus Casalecti.

Rm̄us D. Carmelus Federici Archip. Curatus Turris Ursajae, et Can. hon.

Rm̄us D. Bernardus Panzardi Cantor Curatus Laureae, et Can. hon.

Adm. Rev. D. Nicolaus Bruno Archip. Curatus Bactalearum.

Adm. Rev. D. Felix Palazzo Cantor Ecclesiae S. Joannis ad Pyrum.

Adm. Rev. D. Marianus Marsico Vic. foraneus Latheonici.

Placent ne vobis? Responderunt placent.

Qui omnes eadem die in manibus Excellentissimi, et Reverendissimi Domini Episcopi Polycastren, exceptis admodum Rev. D. Rosario Alberti, D. Vincentio Rizzi, D. Clemente Finamore, D. Blasio Lentini, D. Joanne Jacobo Rossi, D. Carmelo Federici, et D. Bernardo Panzardi, ut moris est, jusjurandum praestitere.

DECRETUM QUINTUM.

De confirmanda Synodo praedecessoris nostri, habitae sub die 23. aprilis anno 1816.

Non pauca ex condicto in praesenti nostra Synodo, omittimus, utpote in Synodalibus constitutionibus Episcopi Ludovici de Ludovicis, immortalis memoriae, sapienter, et utiliter disposita; ideo omnia haec confirmamus, praeter illa, quae hic, vel derogationem, vel abrogationem subierunt.

CAPUT I.

De Fide.

Quidquid in S. Synodo, quam in nomine Jesu Christi, Virginisque Matris aggredimur, vel praecipimus, vel vetamus, vel monemus, profecto Religionis incrementum, virtutesque a Clero, et Populo excolendas respicit. Cum igitur omnium virtutum Fides fundamentum sit, et basis, ut ab ipsa exordiamur, lucidus ordo postulat.

Eo humanae rationis caligo, ob vetus piaculum, devenerat, ut sibi soli relictus homo, nullatenus, uti par est, Deum Creatorem, rectamque vivendi normam cognoscere, nec optatam verae felicitatis metam, contingere posset. Quod nos asserimus, testantur tot Philosophorum excelsi subsellii volumina, imperfecte, superstitiose, et non sine mendis de Deo loquentes; sicut etiam tot Argivae, et Quirinae Sapientiae Codices undequaque corruptione referti. Decebat quippe infinitam Dei bonitatem, hominem reformare, quem ex praedilectione condiderat: ideo candor lucis aeternae de Coelo venit, Jesus Christus, qui supernae suae Fidei admirabili face, nimia charitate succensus, mentis humanae tenebras, et vulnus caecitatis avertit.

Qua de re animarum Pastores, non semel doceant, et populo verba faciant de praetioso do-

no Fidei, ut fideles, pro tanto beneficio, jugiter grates Deo rependant; in ipsa sint fortes, et stabiles, animoque alacri cum Apostolorum Principe dicant: *Nos genus electum, gens sancta, regale Sacerdotium, populus acquisitionis, quem Deus vocavit in admirabile lumen suum.*

Doceant praeterea Parochi, Confessarii, omnesque Sacri Oratores, Fidem Catholicam, quam profitemur, ipsam esse a Jesu Christo proprio infallibili ore praedicatam, et Apostolorum ministerio per totum orbem mirabiliter diffusam, cujus regimini in terris ipse Jesus Petrum Apostolorum praefecit, eique Romanus Pontifex Pius VIII. hodie feliciter regnans, succedit, cum omnibus juribus, et praerogativis, primatus honoris, et jurisditionis super universam Ecclesiam, juxta illud Joannis: *Pasce oves, Pasce agnos.*

Item cum Fides Catholica, ex dictis, opus sit Divinae sapientiae, mentisque Divinae legitima proles; firmiter teneant fideles, ipsam solam, veram, sanctam, hominemque ad vitam aeternam manuducere; et reliquas, quae jactantur, ex scelestorum impostura produxisse, satanae esse commentum; ac proinde nisi in Fide Christi, aeternam posse comparari salutem, quisque pro certo habeat. *Non est in aliquo alio salus, neque aliud nomen datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ut in actibus Apostolorum, Petrus testatur.

Ex Apostolo Paulo Fides pulchre definitur: ***Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*** Qua definitione aperte liquet, mysteria, quae in Fide continentur, esse supra humanae rationis captum; itaut in hac materia disputandum non sit, sed intellectum in Fidei obsequium captivare debeamus, quia sicut curiosi majestatis Divinae scrutatores opprimentur a gloria; sic ex adverso humiles, et auctoritati Divinae acquiescentes, gratiae lumine illustrati, quae Fides proponit intelligent, Propheta testante, qui ait: *nisi credideritis non intelligetis.*

Sine Fide, idem ait Apostolus, *impossibile est placere Deus*: quibus verbis patet Christianam Fidem omnium virtutum fundamentum esse, et nostrae immortalitatis radicem. Hinc omnes Christifideles nervos intendant pro Fide Christi servanda; et si forte contingat omnia bona, et vitam ipsam ejus gratia profundere libenter, et hilari animo id faciant; Sanctorum vestigia terentes, qui Christianae Fidei testimonio, *lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, prout Paulus ad Haebreos.*

Denique cum Christus Dominus proprio ore, et per suam Ecclesiam omnia quae sunt scitu necessaria, et opere complenda, plenius, et clarius definiverit, aperte colligitur, doctrinae catholicae nihil addi, neque demi posse: adeoque a nostra religione novitates omnino abhorrens, juxta

effatum Theologorum : *novum in Ecclesia falsum.*

Quocirca auctoritate nobis a Christo tradita omnes novatorum errores, quos Romani Pontifices, veluti Clemens XII., Benedictus XIV., Pius VII., et Leo XII. damnavere: Nos quoque anathemate plectimur. Absit, ut intra nostrae Dioecesis fines vecordes existant, qui inanibus verbis, fallaci Dialectica, et anilibus fabellis, simplicium corda pervertere conentur. Sciunt nobis concrediti fideles doctrinae catholicae custodiam penes Ecclesiae Pastores residere, a quibus, et primum a Pontifice maximo, hanc discere et audire studeant, non a magistris prurientibus aures, qui sanam doctrinam, utpote eorum pravis cupiditatibus adversam, non sustinent.

Hortamur, igitur in Domino Jesu Christo, incautam juventutem contubernium illorum, qui spiritus fortes vulgo appellantur, tamquam a facie colubri fugere; per ipsos etenim Diabolus infelix jolium in mistico agro Dei seminat; et tamquam Lupi in ovina pelle Dominicum gregem, rapiunt, et dispergunt. Caveant juvenes tam Ecclesiastici, quam Laici subdolos istos, qui per dulces sermones, et sub specie libertatis seducant, et ad perniciem animae, et corporis trahunt.

Non dissimili solertia lectionem evitent librorum, in quibus de nostra sancta Religione, non bene auditur; nec non Poeticos amatorios, obscenos, qui si intellectum non corrumpunt, cor

equidem depravant; ita ut si atheum theoreticum non constituunt, saltem practicum faciunt, et ab atheismo in praxi, ad illud in thesi, facile est iter. Hanc nostram sententiam roborat Augustinus dicens: *affectiones cordis corrumpunt animum, sic ut possit quisque dicere in corde suo: non est Deus.*

Denique Concilio Tridentino, et Bullae Pii IV., quae incipit: *Injunctum nobis*, inherentes. Cunctis Clericis in hac nostrae Dioecesi Beneficium obtinentibus, mandamus, ut infra duos menses a capta possessione, Fidei professionem emittant in manibus nostris, vel Vicarii generalis, in formula ab ipso Pontifice praescripta. Idem dicimus de Sacerdotibus beneficium Parochiale obtinentibus cum animarum cura. Illi vero qui dignitatem, vel Canonicatum in nostra Cathedrali Ecclesia consequentur, eadem formula, ut supra, coram nobis, vel nostro Vicario generali, universoque Capitulo eamdem Fidei professionem adimpleant, sub poena fructus suos non faciendi.

Magistri grammaticae, ingenuarum artium, tam privati, quam publici, nec non nostri Seminarii Lectores coram Episcopo quotannis mense novembris, idem faciant; non exclusis etiam Concionatoribus quadragesimalibus, antequam munus Sanctae Praedicationis aggrediantur.

Ultimo loco Parochis, et nostris Vicariis fo-

raneis, in Jesu Christo praecipimus, ut si quos cognoverint a Fide aberrantes, doctrinasque adversas ejus veritati, et Sanctitati, calente cerebro, ventilantes, nos faciant sine mora certiores, ut post trinam correptionem, opportuna remedia capiamus. Vetamus insuper omnes nostrae Dioecesis Confessarios illos absolvere qui doctrinas novas, et nostrae Religionis adversas profitentur et doceant: tamquam ad religionis et legitimae potestatis subversionem tendentes.

CAPUT II.

De Doctrina Christiana.

Sicut pueri ob lubricum aetatis, sine educatione, cerei sunt flecti in vitium; ita ex adverso faciles sunt quae Deum respiciunt discere, et exequi, si vigilis educatio accedat. Quapropter maxima vigilantia Parochorum potissimum eniteat in pueris puellisque in disciplina, et correptione Domini instruendis. Nostra Pastoralis sollicitudo igitur cogit Nos omnibus animarum Rectoribus injungere, ut tam in Missa de aurora, quam in horis pomeredianis, singulis diebus festivis, juxta laudabilem consuetudinem, pueros puellasque convocent, ut velint Fidei nostrae documenta addiscere. Versetur instructio praecipue in his, quae scitu sunt necessaria necessitate me-

dii, et necessitate praecepti. Non omittant de Sacramentis verba facere, et maxime de Baptisimo, Poenitentia, et Eucharistia, illis pro modulo explicantes realem praesentiam Corporis, et Sanguinis cum anima, et Divinitate Jesu Christi sub panis, et vini specie; omniumque Sacramentorum mirabiles effectus, et gratiae Divinae collationem. Instruant pariter adolescentes de debito cultu Reliquiis, et imaginibus sanctorum; sed potissimum de obsequio, et devotione erga Virginem Deiparam; necnon de saluberrimo indulgentiarum thesauro; insinuantes quod ad modum suffragii possint pro fidelibus defunctis applicari. Non sint segnes etiam clare illos docere quid vetat, et quid Deus praecipiat in decem Decalogi praeceptis. Item dicimus de praeceptis Ecclesiae, enucleantes quanta sit Ecclesiae auctoritas supra fideles; quanta reverentia, et obedientia illi debeatur, cum sit nostra Mater, a cujus uberibus tamquam parvuli pendemus, lac coelestis doctrinae sugentes, quae sola ad vitam aeternam ducit. Intelligant idcirco extra Ecclesiam non dari salutem, neque pro Patre habere Deum, qui pro Matre non tenet Ecclesiam.

Habeant Parochi notam distinctam puerorum, et puellarum aetatis, usque donec cognoscant an illi, et illae instructione indigeant. Habeant quoque notitiam de nomine, et cognomine parentum, ut si quis pueri sint contumaces, ipsi

Parochi possint Patres, et Matres de negligentia reprehendere, et in casu pertinaciae ad Nos referre.

Si forte pueri, et puellae rure, vel litoribus vivant, curet Parochus, ut saltem semel in mense illos in proprias aedes, vel in alium decentem locum convocet ad fidei rudimenta addiscenda.

Mandamus item omnibus Curatis, ut ad publicationes matrimonii non procedant, nisi prius sponsi examen subeant de Doctrinae Christianae peritia; et si inabiles reperiantur, donec instruantur, matrimonii celebrationem omnino vetamus.

Ad hoc malum evitandum, Curatis etiam praecipimus, ut quater in quolibet anno Patres, et Matres familias in Ecclesia colligant, illosque de officiis christianae educationis prolis, caeterisque conjugalibus muneribus, zelo, et charitate edoceant.

Benedicti XIV. documentis inherentes, omnibus Clericis, et potissimum in sacris Ordinibus constitutis, mandamus Christianae Doctrinae interesse, et duce Archipresbytero Curato, efficaciter ad puerorum instructionem cooperare. Nos prae oculis promittimus habere illos in Ecclesiasticorum beneficiorum collatione, qui in tanto salubri opere Parochum coadjuvabunt: secus de illis, qui negligentes erunt, et contumaces.

Qui praesunt Congregationi Spiritus, et

Confraternitatibus, studeant etiam, ut exercitium Christianae Doctrinae non omittatur; quod etiam mandamus omnibus Praesbyteris, qui die Dominico in ruralibus et urbanis Sacellis Sacrum faciunt; idest dicto Evangelio pueros, puellasque rurales, fidei rudimentis imbuere satagant.

CAPUT III.

De Verbi Divini praedicatione.

Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: quomodo audient sine praedicante, ait Apostolus ad Corinthios. Ex qua sententia aperte colligitur verbi Divini praedicationis necessitas in Ecclesia Dei. Etsi, juxta Tridentinum, praedicatio sit Episcoporum proprium munus, qui positi sunt Christi Ecclesiam regere; attamen cum non possint esse ubique propriae jurisdictionis locorum, tam necessarium, et saluberrimum opus, per Parochos debet omnino, et praecipue suppleri; nec non per alios Concionatores, qui ab Ordinario loci legitimam habeant missionem.

Hinc omnibus Curatis nostrae Dioecesis in Domino praecipimus, ut in omnibus Dominicis, et Festis de praecepto, in Missa de aurora populum rudem, et in Conventuali caeteros fideles verbi Divini pabulo pascere non desistant; et ipsis legitime impeditis, per alium idoneum Sa-

cerdotem, a nobis cognitum, et adprobatum, adimpleant. Quocirca omnibus sit persuasum expresse nos vetare, ne quis audeat in nostris Ecclesiis concionari, nisi de Nostra speciali venia, et hoc tam ex Cathedra, quam ex Altari. Quod maxime de Regularibus intelligitur, qui Nostra, suorumque Praelatorum venia indigent, uti Tridentina Synodus declaravit.

Cum Beatae Mariae Virginis patrocinium sit tam efficax, tam potens apud Deum Patrem ad gratias pro fideli populo obtinendas; et cum *Ipsa, teste Bernardo, post Jesum, filiorum Adae sit unica spes, et praesidium*, hortamur, ut in omnibus sabatis per annum de ejusdem Virginis Mariae proeconiis, et cultu sermo ad populum habeatur: necnon de devotione Sacratissimi Cordis Jesu, quam non esigua animi Nostri voluptate in multis locis Nostrae Ditionis introductam reperimus. Hoc tam praeclarum opus Sacris Oratoribus in Quadragesima volumus quoque, ut impleatur.

Mandamus pariter omnibus Nostris Concionatoribus, ut in Quadragesimae cursu semel orationem habeant, vel saltem tres Cathecheses in sanctis exercitiis, adversus horribile, et nefandum blasphemiae vitium, quod a *D. Bernardo Idolatriae aequiparatur*; ita ut tam Canonicae Sanctiones, quam Codex poenalis in Nostro Regno vigens, non leves statuere poenas.

Quater in quolibet anno praecipimus omnibus Curatis, ut homilias suis populis faciant, et semel Concionatoribus in Quadragesima, de debito obsequio, et obedientia Summo Pontifici, qui in terris vices Jesu Christi gerit. Explicent quod Vicarii Jesu Christi potestas a Deo immediate venit, juxta verba Domini in Evangelio Matthaei: *Quodcumque ligaveris super Terram, erit ligatum et in Coelis, et quodcumque solveris super Terram, erit solutum et in Coelis.* Ex quo Evangelii testimonio clare arguitur, Deo resistere, qui Supremi Pontificis praeceptis sint contumaces. Sermonem quoque habeant de reverentia, et submissione, quae Episcopo loci debetur. Intelligant Fideles Episcopum Jesu Christi personam in sua Ecclesia repraesentare; et eos, qui proprium Episcopum audiunt, Deum audire, ejusdemque mandata spernentes, Deum ipsum spernere, prout idem Jesus Christus in Evangelio testatur: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*; quapropter Parochi, dum Episcopus in Pastorali visitatione Ecclesias perlustrat, populum instruant, illum tanquam Jesu Christi personam recepturum esse. Sciant quoque Episcopum in sancta visitatione non solum ad mores Cleri, sed etiam Saecularium investigandos, et corrigendos venire; nam totius gregis pastor est, et quasi rationem de animabus omnium redditurus pervigilat; ac proinde Cle-

rici, et Laici monitis proprii Pastoris obtemperare tenentur. Moneant pariter commissam plebem de indulgentiis, quas consequntur ex Pastorali Benedictione Episcopi, et in ipsius transitu per vias omnes debere genua submittere, intuitu S. Crucis, quam in pectore gestat.

De suprema potestate politica, idest de Rege Nostro, quem Deus incolumen reddat, simili modo omnes animarum Rectores, et Concionatores verba faciant. Gravi sermone ostendant, et Doctoris Gentium judicio, *non esse potestatem, nisi a Deo, et subditos, qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistere.* Rex enim in terris imago est Dei viventis, *secunda Divinitas, sicut Tertullianus testatur*; adeoque Regi perduelles, ordinisque publici perturbatores, etiam Deo rebelles sunt, sibique damnationem acquirunt. Ad Lunam latrare convicti sint omnes Novatores, qui Regium Solium subvertere nituntur; nam cum Rex noster feliciter regnans, sicut et Majores, Orthodoxae Religionis sit acerrimus vindex, sceptrum de domo ejus, Domino servante, nequaquam auferetur. Hinc Divina ope subnixus cum Jeremia dicere potest: *Confundantur qui me persequntur, et non confundar Ego; paveant illi, et non paveam Ego.*

Item cunctis innotescat, quod in omnibus Dominicis Sacri Adventus Concionator a Nobis eligetur, qui in cunctis Nostris Ecclesiis verbum

Dei fidelibus annuntiet; etenim congruum est, ut quemadmodum in omnibus Feriis sextis, et sabatis jejunii antiqua disciplina sit restituta, ita etiam praedicationis, juxta Tridentinum, mos renovetur.

Monemus denique omnes verbi Divini Praecones, ut non in sublimitate, sed in simplicitate sermonis Christum annuntiant, non seipsos, sed Jesum Christum Crucifixum praedicare studeant. Exemplum capiant ab ipso Jesu Christo, qui sine parabulis turbis non loquebatur; necnon a Sanctis Patribus, et a tot eximiis Evangelii Ministris, et potissimum a nostro B. Alfonso Maria de Ligorio, qui non tam stili magnificentiam, sed spiritus unctionem magis in praedicando ostendebat.

CAPUT IV.

De Missae Sacrificio.

Nihil in nostra Religione, de qua supra egimus, excellentius, nihil salubrius, nihil diabulo terribilius, quam incruentum Altaris Sacrificium. In ipso enim non hircorum, aut taurorum carnes, velut in prisco foedere, sed Christus verus Deus, verus homo quotidie offertur, immolatur, et sumitur. Uno verbo hoc Sacrificium, si solum modum excipias, idem est, ac cruentum Sacri-

ficium, quo verbum incarnatum semetipsum obtulit Aeterno Patri pro Mundi salute in Ara Crucis; nam eadem est Victima, idem offerens, idem meritorum thesaurus, fructusque uberrimi non dissimiles.

Idcirco Parochos nostros non pigeat de tam ingenti beneficio, tantoque immensae Divinae largitatis pignore frequenter ad populum habere sermonem. Hujusmodi documentis fidelium corda allicientur jugiter, si fieri potest, Missae Sacrificio interesse, quo excellentiori modo debitum cultum, et obsequium Deo praestabunt, pro culpae poenis satisfacient, propitiationem pro peccatis consequentur; sicut etiam innumeras indulgentias pro vivis, et defunctis a multis Pontificibus concessas.

Itaque non exignum meritum sibi Parochus comparabit, si ipse quotidie in aurora, vel per alium Sacerdotem Missae Sacrificium peragat, ad illius gentis commodum, cujus conditio exigit, ut ad opus rusticum de mane exeat. Curet eodem tempore Parochus, ut actus Christiani devote per populum eliciantur; simulque alia pietatis opera, quae in praesentis Synodi calce adnectimus.

His obiter de sacrificii dignitate, et effectibus praelibatis, quaedam pro nostri Cleri canone sancimus.

Cuique Curato onus imponimus, ut in omnibus diebus festivis Missam pro populo celebret,

et etiam si congruam non habeat, non exceptis illis abrogatis per Bullam Pii VII., prout Sacra Congregatio in Aquilana sub die 18 octobris 1818 declaravit. Aequa tamen Nobis videtur praxis in illis Cleris, ubi per turnum ab unoquoque Sacerdote celebratur, quam non improbamus, imo etiam haud immutari decernimus.

Ex nostro Pastorali munere sancimus in nostra Cathedrali Missam conventualem singulis diebus solemniter cum ministris celebrari. Idem in caeteris Ecclesiis Parochialibus in festis servetur, juxta locorum consuetudinem, vel cum Ministris, vel sine Ministris. In solemnioribus autem, et in triduo majoris Hebdomadae, Missa dicatur cum assistentia, dummodo Ministrorum numerus sit sufficiens. In dicta nostra Cathedrali, in Vigiliis, celebrata Missa solemni post tertiam de Sancto, alia dicatur cum cantu simplici post Nonam, prout Cathedralibus, et Collegiatis Rubricae praescribunt.

Quisque Clerus, praeter tabellam in Sacristia semper fixam, album manuale habeat, quo onera missarum adnotentur, in quo de Sacerdote celebrante, de anno, de mense, et de die celebrationis mentio fiat.

Ultimo in Domino Jesu Christo praecipimus, ut Sacerdotes omnes caerimonias, sacrosque ritus manu nocturnâ, et diurna sedulo versent, et rite custodiant, et observent; memores illius

sententiae: *custodite caerimonias meas* et *alibi*: *maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Meminerint quoque illud S. Theresiae monitum, quae docuit *nullam Ecclesiae caerimoniam, etiam de minimis, negligendam esse, quia cultum Dei respiciens, et si minutissima, maxima tamen habenda est.* Ideo Concilium Tridentinum anathemate plectit, non solum illos, qui ritus Ecclesiae variant; sed etiam qui spernunt, et ad libitum praetermittunt. Maxima igitur reverentia, et scrupulose tam Missalis, quam Romani Ritualis caerimonias servari oportet. Qua de re detestabile vitium est nimis festinanter sacrum facere; experientia enim compertum est, Missam, nec decenter, nec digne minus triente posse compleri.

Omnes Parochi invigilent an pia legata adimpleantur, et in libro Cleri quolibet anno adnotentur. Nullus sacerdos audeat ante Missam Conventualem in diebus festis sacrum facere in Sacellis, exceptis illis ubi sunt onera legatorum.

Item ut in exigendis Missarum stipendiis, avaritia procul pellatur, hanc taxam statuimus:

Pro Missis manualibus, prout pietas fidelium.

Pro perpetuis asses vigintiduo.

Pro Missis cantatis sine assistentia asses quinquaginta.

Pro Missis solemnioribus decem caroleni.

CAPUT V.

De Oratione.

Dogmafidei est, neminem posse operari, aeternamque salutem consequi, sine coelestis gratiae adjutorio: *sine me nihil potestis facere, ait Christus*; pariter infallibili Evangelii oraculo colligitur, neminem de ordinario gratiam adipisci, nisi humili corde a Domino petat: *omnis qui petit accipit . . . . dabit spiritum bonum petentibus se.* Apposite Augustinus: *nullum ad salutem venire, nisi invitatum, nullum salutem operari, nisi cum Dei auxilio, nullum, nisi orantem auxilium promereri.* Consequens igitur est ad aeternam salutem comparandam, orationem esse necessariam. Ex hoc intelligant animarum Rectores, Confessarii, sacri Oratores, ex officio debere sibi subjectos ad orandum excitare, nedum voce, sed magis mente, quod excellentius, et salubrius est.

Ut sanctae Orationis studium in cordibus fidelium radices agat, explicent populo indulgentias a Benedicto XIV. triginta dierum, et quarantenas concessas singulis, qui vel publice, vel private orandi modum doceant, vel ad audiendum conveniant; sicut plenarias indulgentias illis concessit, qui per mensem integrum, rite confessis, et digne sacra Synaxi accepta, per dimidium

horae sanctis meditationibus vacaverint, quod beneficium, ad illos etiam estendit, qui per dimidium horae, vel saltem per quadrantem Divina Mysteria devote meditantur.

Hoc posito, instruant Parochi commissum gregem in sanctae meditationis exercitio, necessitatem, et utilitatem lucide ostendentes; necnon pium morem a Nobis introductum, servantes, idest, ut quotidie in aurora populus in Ecclesia congregatus, in oratione mentali se occupet, quod magis ac in privato prodest, quia *Ecclesia domus orationis est.*

Ut magis populus excitetur, frequentius in Ecclesiam convenire, potissimum in Divini officii tempore, vel dum Episcopus in Cathedrali, vel in aliis Ecclesiis Pontificalia exercet, vel Altaris sacrificio assistit; operae practium erit si Parochi sententiam Sancti Martyris Ignatii populo Ephesi scriptam proponant, qui ait; *si tam efficax est privata oratio, quanto magis illa publica, cum Episcopo facta, et tota Ecclesia.* Ideo qui Ecclesiam, tali tempore adire renuit, ipse Divinae inspirationi resistit, et Deus ipsi resistit, itaque vocem nostram Pastoralem, qui Christi legatione fungimur, libenter audiant, et non despiciant, filii nostrae Dioecesis, paventes illam Divi Augustini sententiam: *Qui non est cum Episcopo, non est cum Deo.*

Si cunctis orandum est, potior necessitas

Ecclesiasticos urget. *Homo Dei*, vocatur ab Apostolo, sed talis effici nequit sine orationis praesidio, qua spiritum bonum consequitur.

Ecclesiasticum ministerium omnino assiduis praecibus indiget, nam unde in Tribunali poenitentiae Sacerdos lumen, ut lepram a lepra secernat, nisi ab oratione? Unde in Cathedra Evangelica spiritus unctionis, nisi oratio praemittatur? quomodo amore Dei flagrabit, et zelo nisi sanctis meditationibus vacet, in quibus ignis Divinus exardescit? quapropter in virtute sanctae obedientiae, et patris affectu, Ecclesiasticos omnes hortamur, ut quotidie per dimidium horae sancta meditatione, animum pascant.

Cum sit a caeteris clericus segregatus, ut soli Deo vacet, excusatio de terrenis occupationibus non valet; imo cum Bernardo, *pessimas occupationes nuncupamus*, si ipsos ab oratione avertant; et animi nostri maerore dicimus, hujusmodi praetextus, non paucos Clericos in perditionem mergere.

CAPUT VI.

De Sacramentis.

Juxta copiosae redemptionis aeconomiam, justificari non poterat homo, nisi in sanguine Agni immaculati ablueretur. Hac de causa Salvatoris

nostri infinita sapientia, per septem in nova lege instituta sacramenta modum excogitavit, quo sanguis ejus credentibus applicaretur; et hinc signa sensibilia mirabiliter fierent humanae salutis instrumenta, fontesque inexausti aquae vivae in vitam aeternam salientis. O mira circa nos, Divinae pietatis dignatio; hic cum Ecclesia vocem erumpimus! Luteus homo in sanguine *Jesu Christi* lotus, *consors fit humanae naturae, et sic ima summis, et humanis Divina junguntur*. Non taceat idcirco lingua Ecclesiae Pastorum, infinitam Dei clementiam, in Sacramentorum institutione ostensam, ut tanti benefactoris corde, voce, et opere jugiter reminiscantur fideles.

Nec vacat, nec libet circa naturam, materiam, formam et Sacramentorum effectus immorari, quia haec fuse a Theologis pertractantur, solummodo de recta administratione cujusque Sacramenti sigillatim, quam brevissime disseremus.

De Baptismo.

Omnes filii Adae originali labe concepti nascuntur, ut ait Apostolus, filii irae, filii vindictae, filii gehennae; sed per rigenerationis lavacrum, ob Christi merita, filii misericordiae, Divinae dilectionis, Regnique Coelestis heredes renascuntur. Quicumque etenim Baptismo in Christo abluuntur, veteri homine, cum actibus suis

expoliantur, novoque induuntur, qui secundum Deum creatus est in justitia, veritate, et sanctitate, et adoptionem filiorum recipiunt, ut christiana Fides suadet. Qua de re, sicut nostra Pastorali voce, non semel in Sanctae visitationis cursu monuimus; sic quoque per has literas Synodales, charitate paterna, nostros spirituales filios hortamur, ut Sancti Baptismi gratiam non parvi pendeant, spiritumque adoptionis, quo filii Dei nominantur, et sunt, fideliter custodiant.

His paucis praemissis, nonnulla pro canone ministrorum tanti Sacramenti statuimus.

Nostris Parochis imponimus, ut sub non rectae administrationis colore, minime audeant Baptismum reiterare, qui domi in periculo collatus fuit. Maxima diligentia modum, quo administratus fuit exquirant, et moralem certitudinem habentes, nihil amplius inquirendum est, uti Benedictus XIV. aperte declaravit.

Non mediocri solertia curent parentes, infantes ad Fontem post viginti quatuor horas quanto ocius mittere, ut quod absit, morte praeventi, sine Baptismo non decedant.

Plerumque evenit, ob imminens periculum mortis, pueris Baptismum ministrari, vel ab obstetrice, vel ab aliqua de astantibus personis. Quocirca sciant Parochi habere onus instruendi, nedum obstetricem; verum etiam reliquos de essentialibus ad Sacramentum; puta de materia,

de forma, de intentione, sine quibus non stabit Baptismus.

Sit Parochorum cura Nobis in Pastorali visitatione obstetricem praesentare, cognoscendi gratia, an munus suum perfecte calleat; et eidem mandamus, ut Parochum loci statim certiorem faciat de mulieris impudicae foetis (quod Deus avertat), pro partus assecuratione, ne novissimus error pejor priore succedat.

Si cum schedula infantes expositi inveniantur, morali certitudine deficiente, laudabilis dispositio Benedicti XIV. exequatur, hoc est, sub conditione Baptizentur, ad Sacramenti injuriam evitandam.

Ante Baptismi celebrationem, parentes tenentur patrinos designatos Parochis indicare, ut si forte sint malae famae, possint a Parochis repulsari, sicut in Rituali Romano cautum est.

Nonnisi de nostra licentia Sacerdotes, Minoristae, et Novitii ad officium patrinorum admittantur.

Caveant Parochi ne nomina Gentilium in sacro Fonte imponant; sed tantum illa Sanctorum, quae in Romano Martyrologio leguntur.

Si parentes e vita migraverint, vel negligant prolem instruere in Christiana doctrina, Parochi moneant patrinos obstrictos esse ex officio eorum defectum supplere; necnon informent de spirituali cognatione, quam contrahuut, tam cum su-

sceptis in sacro Fonte, quam cum illorum parentibus; itaut inter ipsos, et ipsas connubium vetatur, factumque retractatur.

Omnibus Curatis expresse praecipimus, ut in renatorum albo, exprimant nomina Baptizatorum, et Parentum; sicut etiam patrinorum nomina eorumque parentum, de quibus indicent etiam Patriam, Parochiam, et Dioecesim, ut si forte celebrari matrimonium occurrat, possit clarius cognosci spiritualis cognationis impedimentum.

SECT. II.

De Sacramento confirmationis.

Ardens invidia diabolus de filiorum Dei adoptione, quam renati Fonte Baptismatis coelesti pietate sortiti sunt, nullum non movit lapidem, ut hanc excelsam gloriam, et tam inestimabile donum per nefas amittunt. Ast Salvator noster Jesus Christus, qui ad Sathanae imperium subvertendum venit; Sacramentum confirmationis instituit, quo per Spiritum Sanctum Christi milites uberiora auxilia consequentes, nedum pravis concupiscentiis; sed etiam tarthareis potestatibus resistere valeant; et sic in Fide non nutantes, et in opere efficaces reddantur.

Circa hujus Sacramenti administrationem pauca, ut infra, observanda proponimus, et primo.

Ab immemorabili consuetudine invaluit praefatum Sacramentum pueris, ante rationis usum conferendi. In toto nostri praesulatus tempore, hanc consuetudinem secuti sumus, ad effugiendam novitatis notam. Attamen conscientiam nostram pulsat constitutio Benedicti xiv. et tot Summorum Pontificum Sanctiones, confirmationis Sacramentum, ante septennium, ministrare vetantes. Verba praefati Benedicti xiv. haec sunt.

» In aetate septem annorum fideles evacuatis, quae erant parvuli, intelligerent tantum inter se differre Baptismum, et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento, seque per Baptismum fecisse quidem ob militiam receptos, per Confirmationem vero ad pugnam roboratos, et ad perferendos agones per gratiam instructos ».

Aequo animo igitur ferant parentes, si liberorum Confirmationem usque ad discretionis annum protrahimus, nam quotannis, auspice Coelo, nostram Dioecesim Episcopali visitatione lustrantes, ultra annos septem Sacramenti de quo loquimur, non differtur collatio. Par est, ut sicut nos Summis Pontificibus nostris praepositis, morem gerimus, non dispari ratione, ipsi Nobis obtemperare tenentur.

Parochi pueros erudiant de gratia, et donis Sancti Spiritus, quem in hoc Sacramento recipiunt, doceantque illos, brevissimis, ac frequen-

tibus praecationibus, ipsum Spiritum Paraclytum invocare.

De patrinis praecipimus observandum, id quod in sectione de Baptismo statuimus. Tantummodo subnectimus patrinos confirmationis ab illis in Baptismo, varios esse; sicut etiam in privignorum confirmatione vitricos, et novercas excludimus. Non plusquam duos pueros patrini suscipiant in confirmatione, illosque ejusdem sexus, juxta Pontificalis Romani praescriptum.

In schedula curent Parochi describere nomina, et cognomina confirmatorum, patris, ac matris, patrinorum, eorumque parentum, exprimentes, an ex conjugibus, vel ex incerto patre confirmati, orti sint. Sine qua schedula, pueri a Sacramento excludentur. In libris confirmatorum adhibeatur eadem praxis, in capitulo de Baptismo praescripta, servata semper formula Ritualis Romani. Non deficiant Parochi patrinos monere de spirituali cognatione, quam contrahunt, ipsamque inter eosdem matrimonium dirimere.

De Sacramento Eucharistiae.

Humanae mentis acies, et nostra facundia non solum, sed angelorum quoque, impar est edicere muneris dignitatem, et celsitudinem, quo in Sacramento Eucharistiae viatores profuse ditantur. Etsi in caeteris Sacramentis recipiant do-

num, vel primae, vel secundae gratiae, omnia naturae bona excedens, attamen in Sacramento de quo loquimur, non gratia tantum; sed ipse gratiarum auctor donatur. Et re quidem vera, Christus Dominus factus hominibus, usque cibus suam immensam deitatem, suorumque meritorum infinitum acervum prodiga manu largitur. Id mente revolvens S. Augustinus, extra se raptus, sic affatur: » Cum esset omnipotens plus dare non » potuit; cum esset sapientissimus plus dare ne» scivit; cum esset ditissimus, plus dare non ha» buit » . Piaculum sit ergo Ecclesiae Pastoribus, et Evangelicis operariis hunc Divini amoris excessum silentio praeterire; imo iterum, atque iterum christianos provocent, ad Jesum Christum reclamandum, qui prior homines dilexit, et in finem dilexit.

O quam multa de hoc praetioso convivio eloqui oporteret, sed ne nostri instituti limites progrediamur, ad quaedam pro ejusdem cultu stabilienda, gradum facimus.

Sub duplici respectu, vel prout est in Tabernaculo, vel prout viatorum cibus est, Sacramentum Eucharistiae considerari potest. Prout in Tabernaculo, mandamus, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus sit erectum vel marmoreum, vel saltem ligneum optime aureatum, et intus sit vel cum lamina aureata, vel veste serica undique ornatum Altare in quo collocatur, sit tantae ampli-

tudinis, ut non solum Sacerdoti celebranti, sed etiam fidelibus multis, qui ad sacram mensam accedere debent sit aptum, et omnimode opportunum.

In qualibet hebdomoda mensibus aestivis, ob periculum corruptionis, panis consecratus renovetur, et hiemis tempore, post quindecim dies; nec non ante Altare, ubi dictum Tabernaculum repositum est, lampas, noctuque, diuque sit semper accensa.

Duae Pyxides non deficiant in Tabernaculo, una pro perpetua corporis Christi asservatione, altera pro viatico aegrotis deferendo, simulque ut in sacra Custodia praeter duas Pyxides, nec pedem Ostensorii, nec aliud vas vacuum reponi vetamus.

Advertant Parochi, quod in parte interiori Tabernaculi aureulum sericum inter Ostiolum, et Sacramentum intercedere oportet. Prout animarum cibus, sic decernimus.

Dum panis Eucharisticus, vel ad modum viatici, vel ex devotione ad infirmos defertur, sonitus campanae, juxta locorum consuetudinem, praecedat; et maxima qua fieri possit magnificentia, Regis Regum comitatus fiat. Piam praxim illarum Ecclesiarum non parum laudamus, et confirmamus, in quibus omnes de Clero propriis insignibus induti, in functione viatici Parochum adsociant. Expresse tamen Clericis omnibus obli-

gationem injungimus comitandi SS. Sacramentum in aedes infirmorum pro viatico gestatur; ipsisque Parochis imponimus, ut in testimonio de servitio Ecclesiae ordinationis tempore, exprimant praecisis verbis hujus decreti vel executionem, vel neglectum.

Sacerdos, praeter superpelliceum, et stolam, pluviali breviore utatur, ut quocumque solutus impedimento, incedat.

Sit Parochorum cura, vel aliorum ad quos attinet, ut non minus decem cereis accensis adhibeatur, dum viaticum defertur.

In omnibus Ecclesiis Parochialibus quotidie de sero, hora consueta, fiat expositio SS. Sacramenti cum sex candelis accensis, et praecipue Sacerdotes omnes hortamur ad exemplum caeterorum, ut ipsi sint primi tam saluberrimo exercitio interesse. Corde igitur semper recogitent sacri Altaris Ministri, et id etiam populis, et domesticis insinuent Dominum *Jesum Christum*, quamvis in omni loco, potius tamen in sacro Tabernaculo oculos apertos, auresque erectas, ut filiorum vota suscipiat; ibique cor ejus nimia charitate fervens iis paternis vocibus invitat: *venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.*

Cunctis Clericis nostrae Dioecesis praecipimus, ut induti superpelliceo semper cum devotione in visitatione SS. Sacramenti adsistant,

Si praefati pueri, et puellae in aetate discretionis infirmentur, et sint in vitae discrimine, Parochus potest, et debet illis Eucharistiam pro viatico ministrare.

Curatis omnibus expresse injungimus, ut quolibet anno in feria secunda post octavam Paschae, et in una die infra octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis, comunionem generalem pro adolescentulis usque ad annos quatuordecim instituant; nam a teneris assuescere multum est.

Non sint desides Parochi ovibus suis, praeceptum Ecclesiae comunionis Paschalis, saepe saepius significare.

Si quos noverint hujus praecepti trasgressores, illis denuntient poenam interdicti ab ingressu Ecclesiae ferendae sententiae, et privationis Ecclesiasticae sepulturae, ut in Concilio Lateranensi cautum est, et piissimi Regis nostri sanctionem, quem Deus sospitet, cui ut monet Apostolus, *subditi sumus, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

De Sacramento poenitentiae.

Quam dives in Misericordia *Jesus Christus* erga humanam fragilitatem, post Baptismum lapsum, et Sacramenti poenitentiae institutione potissimum comprobatur. Ipse Judex, ipse offensus, in hoc sacramento offensori remedium parat,

unde denuo sibi Divinam amicitiam compereť; proprio cruore animae labes abstergit, et immemor injuriae, memor clementiae, merita ob culpam amissa, restituit.

Studeant idcirco Parochi in quibusdam diebus festivis, notam facere commissae plebi ineffabilem Salvatoris nostri misericordiam populo Christiano in Sacramento Poenitentiae exhibitam. Non sint segnes, praecipue prope tempus Paschale, luculenter disserere de tribus actibus poenitentis, cum tanti Sacramenti validitate, et integritate necessario connexis, et de ejusdem necessitate, quam dicunt medii, ut sontes sine praefato Sacramento, vel in re, vel in voto, de eorum aeterna salute, conclamatum esse, certo scient.

Ne hoc remedium in exitium vertatur, ut digne administretur, et rite suscipiatur, tam pro ministris, quam pro poenitentibus, ut infra decernimus.

Cum Confessarius in Tribunali poenitentiae sedeat, ut Doctor, Judex, et Medicus, oportet omnino, ut sibi attendat, et doctrinae. Adeoque omnino opus est in Ethicae Cristianae libris impallescere; et maxime in Theologia practica B. Alphonsi Mariae de Ligorio, quae, inoffenso pede percurri potest, eo quod immunem a labe declaravit Congreg. Card., cui adhaesit Pius VII. cum suo decr. 1803. Postulet etiam a Patre Luminum coelestem sapientiam, tam necessariam in anima-

rum regimine, quod ars artium appellatur, simulque pro poenitentibus preces effundat, ut illis misericordia Dei gratiam ad resipiscendum, largiatur.

Nemini Sacerdoti tam Saeculari, quam Regulari facultatem confessiones audiendi conferemus, nisi prius coram Nobis, et nostris Examinatoribus Synodalibus examen subeat, cognoscendi gratia, an idoneus sit pro tali munere exercendo. Sed quoniam multos novimus post acceptam facultatem otio, et desidia torpere, ad hoc malum evitandum, praecipimus recentes Confessarios, per spatium annorum duorum in quolibet semestri, rursum se conferre ad Nos, ut iterum examini subjciantur. Item decernimus, nullum adprobari pro audiendis confessionibus sesquioris sexus, nisi ad aetatem triginta sex annorum pervenerit.

Recogitent Confessarii omnes, ipsis non solum solvendi, sed etiam ligandi potestatem demandatam esse; adeoque solerter, et caute perpendant, utrum dispositi sint, nec ne poenitentes. Indispositi censentur, si sint recidivae, si in peccaminosa habitudine, vel in occasione proxima peccandi versentur. In hoc casu deneganda est absolutio, et differenda, donec signa emendationis dederint. Idem dicimus de usurariis, de furibus, de damnificatoribus, et de odio tabescentibus, qui nisi odium deposuerint, minime

absolutione digni sunt; et dummodo in actu impotentes vere cognoscantur, cum sinceritate reparare promittant, statim ac ad meliorem frugem venerint.

Nullus extra Ecclesiam confessiones audiat, et mulierum extra crates; neque de mane ante solis ortum, neque in horis pomeridianis, et multo minus de sero post solis occasum.

Sedes confessionales in propatulo Ecclesiae sitae sint, et exterius, et interius munitae sint ferro, et ligno perforatae ita, ut verba poenitentium audiantur, et vicissim nec Confessarius poenitentem, nec poenitens Confessarium videat. In parte interiori sedis confessionalis cathalogus casuum reservatorum sit affixus, et in exteriori sit Crucifixi immago. Pars anterior totaliter sit aperta; sed sub altera medietate habeat ostiolum clavicula clausum, ut Confessario absente, nullus Laicus ibi sedere possit.

Ut tantum Sacramentum decenter, et cum decore administretur, unusquisque Confessarius sedeat indutus superhabitum thalarem superpelliceo, stola violacei coloris, et bireto, et hoc praecipue Canonico Poenitentiario nostrae Cathedralis, Curatis, Cantoribus. Vicariisque foraneis, injungimus, ut qui vices Christi gerit decus Divinae Majestatis praeseferat.

Cum ab hoc ministerio omnis avaritiae suspicio, prorsus est eliminanda, caveant Confes-

sarii ne quid mercedis exquirant, vel a poenitentibus recipiant, quia Ecclesiae Ministri, non quae sua sunt, sed quae *Jesu Christi* quaerere debent. Hinc stricte vetamus poenitentibus injungere pecuniarias satisfactiones, ut sibi tribuant, vel Missas ab ipsis celebrandas. Si ejusmodi satisfactiones pro criminum qualitate sunt injungendae, praescribant Confessarii, ut poenae paecuniariae Ecclesiae, vel pauperibus applicentur, et Missae ab aliis Sacerdotibus celebrentur.

Sint Confessarii omnino cauti, et pavidi, ne quidquam in hujus Sacramenti administratione auditum sacrilego ausu prodant, sive directe, sive indirecte, verbis, signis, scripto, gestibus, aut alia ulla ratione: aliter luent gravissimas poenas in canonicis sanctionibus statutas. Meminerint, quod arctissimo vinculo juris naturalis, Divini, et Ecclesiastici sigillum confessionis observare coguntur, ita ut etiamsi fractus illabatur orbis, semper sarctum, tectumque debet esse Sacramento silentium.

Confessarii post auditam aegrotorum confessionem, statim faciant Parochum certiorem, ut quid ultra sit faciendum prospiciat. Nemo in aliena Parochia confessiones audiat, ad evitandas contentiones, et jurgia, juxta monitum *Clementis* x., nisi de nostra venia.

Hortamur Confessarios omnes, ut poenitentes summa charitate excipiant: memores verbo-

rum Apostoli ad Galat. : *si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite illum in spiritu laenitatis*; et alibi ad Haebreos: *unde condolere possit iis, qui ignorant, et errant, quoniam ipse circumdatus est infirmitate.* Exemplum sumant a S.Philippo Nerio, qui lacrimis, dulcibus sermonibus, benignitate potius, quam asperitate, et increpatione, ad poenitentiam trahebat.

Commonemus hujus Sacramenti Ministros, crebro legere Ritualis Romani praecepta, quibus internoscant rectam ejusdem Sacramenti administrationem.

Quia ad poenitentiae Sacramentum humiliter, et cum lacrimis accedere oportet, Confessariis nostris imponimus arcere mulieres illas venientes capite detecto, et cum indumentis vanitatem, et impudicitiam redolentibus; sicut etiam mares non decenter indutos, et arma gestantes; quae omnia arrogantiam, non cor contritum, et humiliatum indicant.

Clericis, et Sacerdotibus nostris mandamus, ut habitu thalari se sistant Confessario.

Extra necessitatis aleam non sint faciles Confessarii domos mulierum adire poenitentium, nec poenitentes Confessariorum aedes frequentent; meminerint Confessarii quod etsi ratione officii Angeli sint; nihilominus ex natura, sunt homines fragiles, infirmi vasa lutea portantes, quae

faciunt invicem angustias; proindeque periculum est, ne sacrum ministerium in parricidium convertatur.

Superest monendum Curatis, filios suos spirituales hortari, ut saepius hoc tam salutare Sacramentum frequentent; quocirca moneant, ut saltem in quolibet mense, et in majoribus solemnitatibus anni accedant. Insuper non desistant illis denuntiare strictam obligationem annualis confessionis, a die Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive, poenasque a Concilio Lateranensi, contra contumaces illatas.

De Sacramento extremae unctionis.

Quamvis proditor Angelus in toto vitae decursu ad homines perdendos insidias paret; attamen dum laetho proximi sunt, ut corruant, et pereant magis magisque intendit Spiritus Sancti oraculum in Apocalypsi, quod asserimus confirmat: *Descendet ad vos Diabolus habens iram magnam considerans, quia modicum tempus habet.* Ideoque Mundi Salvator Sacramentum extremae unctionis instituit, quo in extremo agone fideles, *ut ait Hieronymus, veluti athletae oleo peruncti firmo robore adversus salutis hostes, decertarent.* Insuper per hoc Sacramentum aegrotantium animae a flagitiis, si adhuc sint, et a peccatorum reliquiis expiantur; nec non solatium in corpo-

re, imo ejusdem corporis sanitatem, si expediat, consequentur.

De praedicto Sacramento pauca decernimus, ut sequitur: Vas continens sacra olea sit argenteum, vel saltem stamneum nitido velo serico violacei coloris contectum; et asservetur in loco prope Aram Sanctissimi Sacramenti, ubi diu, noctuque lampas ardeat. Parochus, vel Sacerdos hoc Sacramentum ministraturus, superpelliceum induat, cum stola violacei coloris, illum Clericus cum immagine Crucifixi praecedens. Hujus Sacramenti administatione peracta, Sacerdos explicet infirmo extremae unctionis mirabiles effectus, excitet illum ad actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis eliciendos; moneatque domesticos, et adstantes, ut pro aegroto preces ad Deum effundant.

Quoad fieri potest Parochus Sacramentum extremae unctionis ministret, antequam infirmus ratione, et sensibus destituatur. Si contingat extremam unctionem destituto conferri, exquirat Parochus de ejus vitae tenore, et si dum ratio, et sensus vigebat, Ecclesiae Sacramenta petierit.

Non est hoc Sacramentum conferendum scelestis, qui non Christiane vixerunt, et in statu laethalis culpae notoriae moriuntur, nec perpetuo amentibus, qui nulla significatione hujus Sacramenti desiderium ostenderint; neque pueris ante rationis usum. Caetera, quae sunt servan-

da, habentur in Ritnali Romano, quod semper in manibus Parochorum versetur, et sciant, quod si eorum incuria infirmi hoc tanto bono priventur, gravissimas poenas illis minantur sacri canones, ut legitur in *Cap. de clericis, aegrotis Can. placuit, et ibi Gloss. Quest.* 1.

SECT. VI.

De Sacramento ordinis.

Sicut in politico regimine bonus ordo postulat, ut Ministri existant, qui decus Regiae Majestatis sustineant, leges tueantur, et medii sint inter Regem, et populum; eo magis in Ecclesiae regimine oportet pariter esse Ministros, ad decus, et Dei gloriam promovendam, leges Divinas defendendas, atque mediatores fore inter Deum, et homines. Hinc Dominus noster *Jesus Christus* ordinis Sacramentum instituere voluit, quo a legitimam potestatem habentibus, tales Ministri crearentur.

Circa praedictum Sacramentum, de quo fusius agunt Theologi, paucis nos expediemus. Perpendant tanto Clerici nostri, qui ad Sacramentum Ordinis promoveri exoptant, quanta sit ejus excellentia, et praestantia, ut cognoscant quibus virtutibus, quali vitae sanctimonia praeditos esse debeant, qui ad sacros Ordines aspi-

rant. Angeli inter homines, lux Mundi, et Dii in sacri litteris, nuncupantur; quae omnia indicant Clericos debere esse prae caeteris castitate, humilitate, charitate, et in omni genere virtutum emiuentiores. Terret nos valde, et ipsos quoque terrere debet, illa Apostoli sententia: *ne cito manus imposueris.* Caeterum requisita, quibus ornari debent promovendi ad Sacramentum Ordinis, in fine hujus Synodi leguntur.

De Sacramento matrimonii.

Quamquam, consulente Apostolo, *caelibatus sit melior Virginumque coetus sit portio illustrior gregis Jesu Christi, qui inter lilia pascitur*; ex hoc minime sequitur, improbandum esse matrimonium. Quidam haeretici non defuere, qui malas esse nuptias, easque Diabolum fecisse autumabant; ab eodem Apostolo illis verbis refutati; *Honorabile connubium, et thorus immaculatus.* Et revera non Diabolus sed Deus a Mundi primordiis nuptias instituit, dum a latere Adae Evam eduxit, eique simile fecit adiutorium. Deinceps in temporis plenitudine; Homo Deus ex simplici contractu ad Sacramenti dignitatem evexit, et sic definivit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Quoniam non pauci Christi-fideles Matrimonii Sacramentum, veluti rem materialem respi-

ciunt, animarum Rectores interest de recensiti Sacramenti excellentia, non subtrahere verbum. Ex ipsorum ore intelligant populi, Sacramentum matrimonii indissolubile connubium inter Christum sponsum, et Ecclesiam sponsam significare. Intelligant populi, *hoc esse magnum Sacramentum*, sicut Doctor Gentium, appellat, sponsisque gratiam conferre ad sobolem in timore Dei educandam, ad pacis, et mutuae charitatis vinculum in societate conjugali servandum; proindeque ea mentis integritate celebrari debet, quae capax sit fructus gratiae Divinae promereri, et non jam brutorum more, quibus non est intellectus, vel instar gentium, quae ignorant Deum. Sicut pro caeterorum Sacramentorum recta administratione nonnulla statuimus, ita etiam circa matrimonium, sequentia deliberamus.

Cum matrimonii vinculum sit perpetuum, et indissolubile, oportet, ut libero, et pleno consensu a partibus contrahatur. Hinc Parochis praecipimus ad trinas proclamationes non procedere, nisi prius rati sint de supradicto consensu; nec non de parentum permissu, sicuti leges et canonicae, et civiles, jubent.

Juxta Concilium Tridentinum, ante matrimonium contrahendum trinae denunciationes in tribus diebus festivis praecedant, et si aliquod canonicum impedimentum detegatur, ad Curiam Episcopalem referant.

Religiosa vigilantia Curati sponsos experiantur utrum in Doctrina Christiana sint sufficienter versati. Si imperitos noverint, fieri publicationes vetamus, usque donec instruantur, et de eorum peritia exhibeant in nostra Curia testimonium.

Non audeant Curati unam pro tribus facere proclamationem, nec dies festivos permutare, nisi de nostro mandato in scriptis, et cognita a Nobis legitima causa.

Si sponsi sint diversarum Parochiarum, in utraque fiant publicationes, nec unus Parochus ad matrimonium contrahendum procedat, nisi aliter non adhuc publicaverit. Si vero sit alienigena requiritur attestatus Curiae Episcopalis de statu libero.

Explicent Archipresbyteri Curati suis filianis, strictum debitum habere, ipsosque monendi de Canonicis impedimentis, si inter sponsum, et sponsam noverint; alioquin Tridentinum Concilium perperam ter denunciare in publica Ecclesia praecipisset. Si ultra duos menses trinae denunciationis, matrimonium non sit celebratum, mandamus proclamationes repeti, nisi aliter Nobis videbitur.

Eidem Concilio obtemperantes, Parochis omnino vetamus in matrimonium conjungere, vagas, ignotas, exteros, et eos, qui a sex mensibus retro, in proprio Oppido, et in nostra

Dioecesi, non habuere domicilium, nisi prius Nostra Curia de eorum statu libero, non sit certior facta.

Nisi praemissa sacramentali confessione, matrimonium de mane post ortum solis coram Parocho, et tribus testibus in publica Ecclesia celebretur, etsi per Nos statuatur, ut domi, vel alibi administretur, parvum altare cum immagine Crucifixi, saltemque duobus accensis cereis erigatur.

Non semel Curati hortentur sponsos non simul cohabitare, nec simul in agris laborare ante non contractum matrimonium, qui in tali periculosa occasione, probabile est peccatum Sacramentum praecedere, uti magistra rerum experientia admonet. Vacent potius fervidis obsecrationibus, jejuniis, aliisque piis operibus, ad exemplum Tobiae, et Sarae, qui simili pietate se ad conjugium disposuere. Si contra fecerint, nostrorum Theologorum consilio, Nobis absolutionem reservamus, tam sponsorum, qui post tertiam vicem vicissim conversantur, tam parentum, qui stulte hoc permittunt.

PARS II.

CAPUT VII.

De vita, et honestate Clericorum.

Omnes Clericos, quia velut Nazaraei Divino obsequio arctius sunt mancipati, decet prae caeteris sanctitudo, et haec eo eminentior quam sublimior est locus, et dignitas, quam, Domino vocante, sortiti sunt. Altare, cui serviunt, Divinum ministerium, quod Angelis meliores effecti, exercent, persona Christi, quam gerunt, exigit omnino ut *Sancti*, *innocentes*, *impolluti et a peccatoribus segregati*, perpetuo vivant.

Quoniam Clericalis vita, Civitati supra mentem positae, quae latere nequit, in Evangelio assimilatur, nedum interius, sed etiam exterius sancta sit, et venerabilis oportet. Positi etenim sunt Ecclesiastici tanquam speculum, in quod Laici oculos conjciant, ad formam considerandam, quam imitentur. Hinc pro vita interiori non solum, sed pro exteriori quoque observanda ad unguem, quaedam hoc loco mandamus.

Ab exteriori incipientes, cuique Clerico quocumque gradu constituto, ponimus ante oculos Concilii Aquisgranae Canonem de decentia ve-

stium his verbis: *Decet ut Clericorum talis sit vestium cultus qui occasione vanitatis careat, nihilque reprehensionis habeat, aut detractionis; idest nec multo plus cultior sit vestis, nec lacera atque deformis.* Volumus autem ut omnes Ecclesiastici, et praesertim Sacerdotes, Dignitatibus fulgentes, et Beneficiarii per propriam Civitatem, et per oppida de mane sine habitu talari non incedant. In reliquis serventur, quae a nostro praedecessore f. r. in Sect. IV. §. II. sancita sunt. Scire debent hunc esse Ecclesiae spiritum, quae in sacra Ordinatione saecularis indumenti opprobrium, mundique vanitates ipsos deponere fecit.

Nullus Clericorum annulum gerat, nisi tantum illi quibus ratione dignitatis conveniat; sed nequaquam in Missae sacrificio conceditur.

Nemo audeat Missae sacrificium, caeterasque Ecclesiasticas functiones peragere, nisi veste talari indutus; et tanquam absens consideretur, qui praefato modo sacris functionibus non assistat.

Ne Sacerdotalis auctoritas frangatur, turpe putent Clerici per publicas plateas vagari, triviis, et publicis conventis interesse. Nefas sit cunctis Ecclesiasticis causa otiandi, edendi, aut bibendi cauponas (nisi in longo itinere) ingredi. Suspensos item declaramus qui saltationibus, choreis publicis, et amatoriis cantilenis adsint,

nec non musicalia instrumenta inter mulieres pulsantes.

Nemini liceat armorum delatio, quia Sacerdotum arma libri sunt, lacrymae, et orationes. Insuper ad Clericorum memoriam revocamus poenas Canonico jure comminatas, si licitae, et permissae venationis limites excedant.

Quoniam perversorum sermone, et contactu, boni facile pervertentur, hortamur ut libertinae gentis commercium cane pejus, et angue omnes Ecclesiastici fugiant. Prae caeteris ante oculos habeant salutare Apostoli monitum ad Corinth: *Si fornicator est, aut avarus, aut maledicus, aut idolis serviens, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere.* Potius cum hominibus bene moratis, et aedificantibus conversationem habeant, nam cum sanctis sancti erunt.

Si cum omnibus familiaritas, et maxime cum mulieribus vitanda est, uti pius *Thomas de Kempis docet*: omnibus clericis cujusque ordinis vetamus frequentes accessus, et nimiam cum vario sexu consuetudinem, nam ob humanae naturae fragilitatem, et ob Divinae gratiae defectum, quam Deus ultro adeuntibus periculum ordinarie denegat, in periculosa voluntaria occasione desipere, moraliter certum est. O quot operarii Evangelici pietate insignes, zelo, doctrina, et dignitate eminentes, prae familiari muliebri consortio, castitatis naufragium fecerunt! Quis Sampsone

fortior? Quis Davide sanctior? Quis Salomone sapientior? et tamen fortitudo, sanctitas, sapientia, a facie mulieris evanuit. *Lapsus majorum sit terror minorum*, ut congrue dixit Augustinus.

Ad periculum igitur occasionis vitandum expresse prohibemus clericos esse socios faeminarum in itinere (*a*); ad proprium servitium mulieres malae frugis admittere, nec eisdem proprias domus, vel Ecclesiae locare, ne earum iniquitatis fiant participes (*b*).

Cum ex praecepto D. Pauli: *Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus*, rigorose cunctis Ecclesiasticis interdicimus vectigalium exigentiam, etiam per intermediam personam, publicas locationes, et mercaturae exercitium; sicut etiam tutoris, fidejussoris, et patrocinatoris, officium in foro civili, exceptis causis merae pietatis, et pauperum, non pacta mercede, Ecclesiasticis, propriae familiae, et consanguineo-

(a) *Excepto primo, et secundo gradu, necnon praevia nostra licentia, excipimus Sacerdotes illos, qui bonum habent testimonium, et mulieres bonae famae comitantur.*

(b) *Insuper omnes Ecclesiasticos vetamus esse puellarum ludi magistros, nisi aetatem quinquaginta annorum attigerint, et hoc semper de nostra venia intelligatur.*

rum, nec non pro bono pacis. Item nemo ex Clericis sit Laicorum profanus minister, aut in rebus illorum procurator existat. Nullus medicinam, et chirurgiam exerceat, nisi requisitis facultatibus sit munitus.

Nobis imprudentibus, et sine nostris, vel Vicarii generalis litteris Discessorialibus, nemo a nostra Dioecesi exeat.

Circa vitam interiorem, quisque Clericus assidue recogitet, hominem Dei esse. Cum Apostolus dicat: *Qui sunt Jesu Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis suis*; *consequens est ut in sacerdotali corde oculorum concupiscentia, superbia vitae, et illecebra carnis nullam partem habeat.* Sit animus in culmine virtutis erectus, ita ut non labiis tantum, sed cum effectu quotidie pronuntiet: *in corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi.*

Ad hoc exequendum optamus, ut omnes Sacerdotes quotannis in domo religiosa sancta Exercitia peragant; nam cum in solitudine Deus loquatur ad cor, ibi strepitu silente curarum, cognoscere possint quae sit voluntas Dei bona, perfecta, et beneplacens. Parochos, vero, et confessarios qui majori lumine, et fervore indigent, quovis exacto biennio tam salutare remedium eo magis consulimus, a sacro tamen mensili recessu in regulis Ecclesiasticis praescripto, minime dispensamus.

Quoniam *labia Sacerdotis custodiunt scientiam*, *et populi legem requirent de ore ejus*, non solum sanctitate; sed etiam doctrina omnes Ecclesiastici totae Ecclesiae illucescere debent. Hinc Romanum Concilium mandat, *ut in sana doctrina potentes fiant*, sacros Canones percurrant, Ritus Sanctae Ecclesiae, et rubricas attente perlegant, et denique Cantui Gregoriano datis horis vacent. Qua de re cuncti poenes se habeant Sacram Bibliam, Theologiam Dogmaticam, et Moralem, Canonicas sanctiones, Concilium Tridentinum, Cathechismum Romanum, Compendium Doctrinae Christianae a Nobis editum, librosque asceticos, et praecipue opera Rodriguez, S. Francisci Salesii, et B. Alphonsi Mariae de Ligorio, ut his paginis spiritus Sacerdotalis coelesti dulcedine, et suavitate pascatur.

Ultimo loco pro coronide omnes nostros Ecclesiasticos in *Domino Jesu* monemus, ut animarum saluti, quae pretium sanguinis Crucifixi sunt, pro viribus consulant. Si non omnibus datum est Cathedram Evangelicam conscendere, et in Tribunali Poenitentiae sedere Judices; pro modulo studeant saltem pueros in elementis nostrae religionis instruere, ignaros docere, et admonere peccatores, et in omnibus seipsos exemplum bonorum operum fidelibus praebeant. Reminiscantur quod vi ordinationis positi fuerunt fructum permanentem afferre. Quisquis erit Ec-

clesiasticus inoperosus, venter piger in sola curanda cute sollicitus, illam terribilem sententiam districti Judicis in novissimo die formidet: *Ejicite servum inutilem, et mittite in tenebras exteriores*; quod Jesus Christus per suam Misericordiam avertat.

CAPUT VIII.

De Capitulo Cathedralis Ecclesiae.

Ecclesiae Senatus, Episcopale consilium, honorificum corpus, Clerum universae Dioecesis repraesentans, Capitulum Cathedralis in Ecclesiasticis codicibus nuncupatur; corporisque hujusce componentes, Venerabiles Fratres Episcopus salutat. Igitur quemadmodum praeeminentia, honoribus, et privilegiis reliquos de Clero antecellunt; ita etiam zelo, sana doctrina, omnique virtute super illos se extollant oportet; et quo nostrae Cathedrae Episcopali sunt propriores, eo prae caeteris manum porrigant in sustinendo onus Nobis impositum, Angelicis humeris formidandum. Sint primi, et ferventiores Synodalium constitutionum executores, et voce, et exemplo satagant, ut alii inferiores Clerici non coacte, sed ultro, et libenter adimpleant.

In praefato Capitulo distinguuntur, Archidiaconus prima Dignitas, qui primus in Choro se-

det, primus in Pontificalibus assistit, primamque in eodem Capitulo vocem habet; Cantor secunda Dignitas, et Chori rector; Canonicus Theologus, et Canonicus Poenitentiarius, qui licet in nostra Cathedrali inter Dignitates non numerentur; attamen ad sensum Canonistarum, Dignitatibus aequiparantur. Hi quatuor praedicti omnes speciali Praebenda potiuntur. Archidiaconus habet Praebendam sub titulo S. Joannis Baptistae Roccae Gloriosae, et S. Mariae Magdalenae, et S. Spiritus Polycastri. Suam quoque habet Cantor sub nomine Sanctae Mariae sine labe conceptae cum proprio altari in Sacello S. Joannis Baptistae in Oppido Casalecti, aliosque redditus in pluribus locis. Canonicus Theologus Praebendam possidet sub invocatione S. Mariae ad Martyres cum propria Ecclesia extra maenia ejusdem Comunis Casalecti; et Canonicus Poenitentiarius sub titulo S. Mariae Gratiarum, cujus altare in nostra Cathedrali situm est.

Licet in praedicta nostra Cathedrali ob parvum Clericorum numerum, et Civitatis incolarum, lectio Scripturalis a Canonico Theologo fuerit praetermissa; nihilominus nunc aucto Capitulo, Seminario, et Populo, volumus, ut per praefatum Canonicum Theologum, extra tempus sacri Adventus, et Quadragesimae, in omnibus Dominicis temporis residentiae, peragatur. Non parum in docilitate praesentis Canonici Theologi

confidimus, et rati sumus tam excellentissimum opus quanto ocius aggredi.

Numerantur quoque in eodem Capitulo quatuor Hebdomodarii, qui simul cum Canonicis in omnibus sacris functionibus assistunt, ipsisque in missis solemnibus pro Ministris inserviunt. Immediate subter Canonicos sedes habent; etsi cum Capitulo in divinis Officiis, et processionibus copulentur, omnes de Clero praecedunt. Quorum unus est Sacrista, cujus cura est consulere pro fideli custodia, et sacrorum paramentorum nitore, necnon pervigilare, ut Custos officium suum quam recte adimpleat. Alii duo sunt Archidiaconi Curati coadjutores in animarum cura.

In primis Dignitates, et Canonicos in Domino hortamur ad mutuum inter ipsos amorem, et benevolentiam; et sicut vicissim Fratres appellantur, sic pariter fraterno vinculo ex corde puro, et caritate non ficta, se invicem diligant.

Quoad residentiam sive in Civitate, sive in Choro, disciplinam, quotidianam psalmodiam, Divini Officii celebrationem, Capitularia statuta, et quidquid a nostro praedecessore Ludovico de Ludovicis, f. m., salubrior statutum fuit, volumus ut omnino servetur.

Non dissimili ratione mandamus, Dignitates, et Canonicos interesse Missae Conventuali quotidianae, et solemni, ut ex testamento Epi-

scopi Camilli Hyacinthi Maradei, cujus memoria in benedictione est.

Cum non parum conferat ad Ecclesiae utilitatem, conclusioues Capitulares haberi; ideo praecipimus, ut duae saltem in tota residentia convocentur, quarum prima sit in residentiae initio, et altera in Dominica prima mensis aprilis, nisi alias necessitas cogat convocari. In die praecedenti a prima Dignitate affigatur schedula in Sacristia scopum convocationis exprimens; et hora serotina antecedentis diei pulsetur Campana ad Capitulum, et similiter ante dimidium horae Capitularis conclusionis.

Collecto universo Capitulo, solito Hymno *Veni Creator*, Spiritus Sanctus invocetur, qui est bonorum operum sugestor, et per suffragia secreta omnia resolvantur, ac deinde, nulla habita mora, Secretarius Capituli non foliis volantibus, sed in Libro conclusionum, quod conventum est, exaret, ab omnibus Dignitatibus et Cauonicis etiam adversae opinionis subscriptum, salva semper libertate se protestandi, si ita discrepantibus videbitur.

Monemus denique, ut in praedictis conclusionibus omnia, juxta Paulum Apostolum cum caritate fiant. Quisque suo loco sententiam suam, absque humano respectu, et spiritu contentionis, proferat.

Expresse vetamus privatum Canonicum,

Epistolas nomine totius Capituli conficere, aut Procurationis mandatum, nisi prius in Capitularibus conclusionibus decernatur; nec literas testimoniales favore cujusque personae, non adhibitis, ut supra, formalitatibus.

Sive Dignitates, sive Canonici exquirendi suffragia per buxulam jure potiantur, nullo modo possunt negotia Capitularia resolvi, nisi toto convocato Capitulo; secus Capitulum omnia irrita declaret. Irrita quoque erit Capitularis Conclusio, si eidem interveniat, et subscribat aliquis Canonicus, quando negotium, quod peragitur ad rem suam familiarem, vel personae sibi in primo gradu consanguinitatis conjunctae, pertineat.

Tam Procurator, quam caeteri Capituli officiales, quovis anno per suffragia secreta eligantur, et non confirmentur, nisi praevia Capitulari conclusione. Eodem modo electi nequeunt in posterum officium dimittere, antequam a Capitulo, et a Nobis causa cognoscatur.

Punctatores eligantur, unus a Nobis, et alter a Capitulo, qui habentes prae oculis praestitum juramentum, absentes a Choro, nulla habita ratione cujusque personae, puntaturae subjiciant. Utrum legitimam habeant causam Sacris functionibus non interveniendi, a Nobis cognoscendum erit. Sit punctaturae subjectus qui post tertium Psalmum Matutini praesens non est, in Horis Canonicis completo Hymno, et in Vesperis,

et Completorio, expletis primis Psalmis utriusque.

Censeatur absens, qui non petita venia a Praefecto Chori, non peractis sacris functionibus, discedat; et quisque animadvertat, quod excusationes falsas, et non legitimas fingens, si judicium hominum effugerit, illud Dei, cujus oculis omnia sunt aperta, effugere nequit.

In fine anni Nobis Libros punctaturae exhibeant, gratia cognoscendi vel assistentiam, vel Canonicorum negligentiam.

Magister coerimoniarum Capituli nostri disponat omnia quoad ritus, et coerimonias, nedum in Pontificalibus a Nobis, statutis diebus, exercendis, sed pariter pro functionibus, quae a Dignitatibus, et Canonicis paraguntur, inspecta nota, quam Cantor, cujus munus est, efficiet. Hac praevia dispositione, procul dubio confusiones, et clamores evitari poterunt, qui a Sanctitate Ecclesiasticarum functionum valde abhorrent.

Habeat Capitulum nostrum proprium Archivium, ubi omnes tabulae ad idem pertinentes scrupulose asserventur, et per Canonicum Secretarium fiat album, in quo per elenchum notentur conclusiones capitulares, tabulae inventariorum stabilium, et mobilium bonorum, instrumenta, Libri computorum, decreta in Pastorali Visitatione, et Capitularia statuta, necnon Indulgentiae, et Cathedralis Ecclesiae aedificationis, et consecrationis memoria describatur. Nemo audeat scri-

pturas Archivii resolvere, nisi Archivario praesente, neque eas in manibus cujusque personae tradere praesumat.

Dignitates, et Canonici antequam in possessionem Beneficii immittantur, coram Nobis, vel nostri Vicarii generalis, juramentum praestent de bonis, et redditibus Ecclesiae Cathedralis tuendi, et eidem fideliter inserviendi, et infra duos menses professionem Fidei in manibus nostris, vel Vicarii generalis, et coram nostro Capitulo, faciant; alioquin ex dispositione Concilii Tridentini irrita erit possessio.

Decimustertius Canonicus novissime a Nobis, cum consensu Capituli, electus, sedulo vigilet sacra vasa, sacra páramenta, Sanctorum reliquias, decenter servari. Simili modo curet, ut per Clericos in diebus solemnibus pretiosius Ecclesiae, et altaria ornentur, necnon ut parietes templi, saltem quater in anno, pulvere, et aliis immunditiis purgentur; ita ut Ecclesia nuper nobis nitore renovata, reapse appareat, *tamquam sponsa ornata viro suo*, speciosa. Sit illius cura ne desit Missa in aurora quolibet die festivo, et a sacristia saeculares arceat, neque ut ibi confabulentur, et scurrilia tractent aliquos immorari sinat, et si occurrat, etiam si Ecclesiastici quocumque gradu sint, humano remoto respectu, prudenter excludat.

Si quis Canonicorum tempore residentiae in-

firmetur, Archidiaconus caret, ut fratres Capitulares fervidas ad Deum pro infirmi salute effundant preces, et praesertim Litanias B. Mariae Virginis recitent, quae *Salus infirmorum*, ab Ecclesia nominatur.

Si infirmitas ingravesceret, procurator anticipet aliquid pecuniae de sua rata; et dummodo sit mortis in periculo, omnes Canonici invigilent, ut aegrotus in osculo Domini diem supremum claudat.

CAPUT IX.

De Seminario Dioecesano.

A primo Nostri Praesulatus exordio, inter caeteras laboriosi ministerii curas, imbecillitas nostra praesertim oculos ad Seminarium convertit, et pro recto ordine oeconomico, scholastico, et religioso, coelestis gratiae auxilió, nihil intentatum reliquit. Testis est nobis Christus, et alumni, nostrae quotidianae instantiae, et quasi jugis personalis praesentiae inter ipsos, cupidi semper ut virtutes omnes tam physicae, quam morales, Deo adjuvante, incrementum acciperent. Tales nostras industrias, inanes minime putamus, quia spem posteram nostri gregis in bona Seminari cultura sitam esse, luculenter experientia comprobatur. Ex hoc loco, optimos

Canonicos, vigiles Parochos, Praedicatores, et Confessarios prodire, multum in Domino confidimus. Quidni? Seminaria loca sunt, ubi Dominus messis operarios sibi parat, in copiosam messem mittendos.

Quocirca cum tam ingens bonum in alumnis post nostram curam, etiam a Rectoris, Lectorumque zelo, et solertia attendatur, quisque pro sua parte; ideo in Domino praecipimus, praefatos Seminarii officiales certatim studere, ut Ecclesiastici Juvenes in fanctorum scientia, et facultatibus intellectualibus, de die in diem proficiant.

Etsi de Rectoris vigilautia satis simus convicti, tamen cum nostra Pastoralis sollicitudo nunquam dicat satis, ipsi magis, magisque indefessam diligentiam, pro regularum Seminarii observantia, commendamus, easdemque in praesenti S. Synodo adprobamus. Sancimus in posterum non eligere Lectores, et Ludimagistros, nisi quorum probata vita senectus sit. Non sufficit praedictos in doctrina, et ingenio praestantes esse, sed magis virtutibus Ecclesiasticis, et exemplo juventuti Ecclesiasticae, integritatis se specimen exhibeant: quia magistri vita vel exemplaris, vel prava, multum in animum discipulorum influit.

Insuper declaramus in Seminario non admittere Praeceptores, nisi Praesbyteros, vel saltem ad sacerdotium proximos.

Mandamus non destinari Praefectos in Seminario, praeter illos in sacris constitutos. Sciant parentes Clericorum, qui Seminarium sunt ingressuri, quod nos ante admissionem, non tam bonam indolem ad literas addiscendas; sed eo amplius morum innocentiam, docilitatem, et signa vocationis inspiciemus: adeoque nolumus querimonias audire, dum in hoc loco non recipiantur.

Decernimus pariter neminem ad ordines sacros promoveri, nisi prius per longum tempus in Seminario degerit, nobisque signa non indubia sui progressus, nedum in scientiis, sed etiam bonae vitae, ostenderit, ad dijudicandum utrum idoneus Novi Testamenti Minister evadat.

Canonici Deputati nostri Seminarii, ad normam Tridentini Concilii, eorum partes scrupulose adimpleant, et in residentia Polycastri, nobis invitantibus, ante nos se conferant post quindecim dies cujusque mensis, ad negotia ejusdem loci discutienda.

Duos alios Canonicos, juxta Tridentinum, a nobis pro disciplina Seminarii, electos, monemus esse promptiores, et fideles, in consilio praestando, et impartiales nobis coram Deo, quod in corde sentiunt, patefaciant.

Licet saepius, et repente Seminarium adeamus, ut oculari inspectione necessaria, et utilia cognoscamus; nihilominus si legitimum impedi-

mentum obstet, optamus ut quatuor Deputati, pro eorum parte, vices nostras suppleant.

CAPUT X.

De Parochis.

A Parochorum memoria non excidant monita, et praecepta, quae per Dominum Jesum dedimus in sectionibus de Sacramentis, de Verbi Divini praedicatione, et de Christiana doctrina, ubi cum sint fuso calamo tradita, hic resumere superfluum est. Cujusque Parochi maneat alta mente repositum illud Divi Augustini judicium: *Cum praepositi Ecclesiae negligentius agerent, et dormirent, venit Diabolus, et superseminavit eos, quos filios malos Dominus interpretatur.* Qui sunt filii mali, nisi blasphemi, ebriosi, impudici, novorum dogmatum fabricatores, et mille hujus furfuris, ut idem Doctor exponit? Si animarum Rectores dormiunt, si desides in exortando, in arguendo, in obsecrando, tamquam lupi ut rapiant, et mactent, caulam Dominicam invadent. Quapropter verbis Christi ad suos discipulos ipsos alloquimur: *Vigilate, iterum dico vigilate.* Simulque reminiscantur Divi Gregorii verba ajentis: *Festinent, discurrant, non dent somnum oculis suis, nec dormitent palpebrae eorum, alias tot occident, quot ad mortem ire quotidie, tepidi, et*

tacentes videbunt, *et morti*, *cui non contradicunt*, *se adjungent*.

Caetera, quae Curatorum partes respiciunt in anteactis Synodalibus Constitutionibus passim occurrunt. Hoc loco dumtaxat pauca indicimus, quae pro bono ordine morali, non levia putamus.

Quolibet anno sine mora ad nos trasmittant statum animarum, indicantem nomina et cognomina illorum, qui Paschale praeceptum sumendi Eucharistiam non impleverint.

Praecipimus in Domino *Jesu Christo* ut omnes Archipresbyteri Curati, quotannis in prima Feria secunda cujusque bimestris veniant ad Nos, ut ipsorum ore Parochiarum positio Nobis innotescat. Dum Polycastri hiemamus, hoc adimpleant Archipresbyteri omnes Circumdarii *Bonatorum*. In residentia *Turris Ursajae* idem observent cuncti Archipresbyteri Circumdarii ejusdem *Turris Ursajae*, et *Camerotae*, necnon *Siculorum*, *Morigeratorum*, *et Casellarum*. Dum *Laureae* sumus, faveant Parochi *Lacusliberi*, *Rivelli S. Nicolai*, *et S. Mariae de Podio*, *Triclinae*, *et Latheonici*; Curati *S. Mariae Gratiarum Bosci*, *et S. Constantini*. In eorum adventu, tam Nobis charo, inter Nos, et ipsos, consilia, pro gloria Dei, et animarum salute conferemus, ut Divina protegente gratia, quod abjectum reducere, quod confractum est alligare, quod infirmum consolidare possemus.

Praeter consuetos Libros Parochiales alterum habeant occultum, in quo Canonicae admonitiones publicis scelestis adhibitae signentur, mentionem facientes de die, et personis, coram quibus peccatorum correctionem acceperunt. Praedicti Parochiales Libri non in propriis aedibus, sed ad fraudes evitandas in armario Sacristiae conserventur, qui a solo curato subscribantur, et in casu absentiae, vel impedimenti, Coadjutor a Nobis electus, titulum Coadjutoris exprimens, subscribat.

A Parochia non discedant sine nostro speciali mandato, nec ipsorum vices, nobis inconsultis, aliis assignent.

Denique cum omnes Parochi debeant esse forma gregis ex animo, non solum verbo, et doctrina, sed magis aedificatione, et exemplo populum pascere oportet. Absit omnino, ut talis Parochus inveniatur, qui sit lapis offensionis, et petra scandali in plebe sibi commissa. Ipsi equidem bene congrueret ironia illa a prophanis Scriptoribus his verbis expressa: *O praeclarum custodem ovium, ut ajunt Lupum!*

CAPUT XI.

De Cantore, et de Disciplina Chori cujus est Rector.

In sola Ecclesia Cathedrali Cantor Dignitas est, et in nostra, secunda post Archidiaconum; in caeteris vero Ecclesiis minoribus, simplex officium est. Cantoris partes sunt, Choro praeesse, ut Divina officia graviter, et ordinate Altissimo persolvantur, risus, et colloquia choibere, silentium indicere; unde in quibusdam Cathedralibus usu receptum est, ut in suae potestatis argumentum, in festis solemnioribus, baculo argenteo utatur, quem baculum Cantoralem vocant.

Uno verbo, Cantor Chori disciplinam regit, de qua hoc loco nonnulla sancimus, quae Cantor primus adimpleat, et caeteri Ecclesiastici, ut observent, ipse pervigilet.

Cum militans Ecclesia sit almae Sionis aemula, in Divina Majestate collaudanda, sicut Caelites trementes preobsequio, facies eorum velantes, unum, trinumque Deum jugi canore laudant; ita dum Clerici ad psallendum Deo chorum ingrediuntur, maxima, qua decet reverentia, animi submissione, et modestia, Divinas laudes praecinere oportet.

Meminerint Sacerdotes Divina officia attente, clare, et devote persolvenda esse; etsi atten-

tio non est saltem ad verba, vel ad sensum, quae potior, vel ad Deum, quae est potissima, nec praecepto Ecclesiae satisfacere, nec fructus suos facere; adversumque ipsos Divinam in scripturis tonare indignationem: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*

Ad campanae signum horis consuetis, Canonici nostrae Cathedralis ad Ecclesiam conveniant, et veste talari, propriis insignibus induti cum bireto, bini, et bini, debitis exactis reverentiis, ad Chorum procedant. Idem quoque in Ecclesiis minoribus a cunctis Ecclesiasticis observetur.

Sit cantus alternis vicibus, clara voce, et pausa in asterisco interjecta, vel sedeant, vel assurgant, vel genuflectent, prout temporis ratio, et rubrica postulant; etenim, sicut bonus ordo in sacris functionibus aedificat, sic e contrario confusio scandalum, et admirationem parit.

Non sufficit in Choro sola ministrorum praesentia; ideo uno ore, et mente canere tenentur. Et revera cum horae canonicae non solum cultum internum, sed etiam externum respiciant, lingua simul cum corde Deum laudare debet.

In anniversariis, et in defunctorum associatione, nemo tamquam praesens censeatur, nisi a principio, usque ad finem interfuerit. Hinc punctatoribus imponimus praesentes et absentes adnotare, dum anniversaria, et nocturna cele-

brantur, quorum stipendium manuale non est, sed fundorum perceptioni affixum.

In missis cum cantu, post consecrationem, expresse cani vetamus, quae sunt aliena a sacrificio missae.

In omnibus Ecclesiis, diebus festivis non praetermittatur Missa Conventualis cum cantu; et prout in Capitulo de Missae sacrificio innuimus. In nostra Cathedrali, praeter Missam Conventualem de Sancto post Tertiam, in Vigiliis, aliisque diebus a rubrica indictis, aliam post Nonam canatur; et pro tenuitate redditus, Canonicis concessimus cantari Missas pro anniversariis assignatas.

Denique omnibus Cantoribus tam Cathedralis, quam Parochiarum Ecclesiarum, mandamus, ut ex officio invigilent pro scrupolosa observantia omnium, quae circa Chori disciplinam, ex nostro munere Episcopali, decrevimus; et ipsorum zelo, et vigili custodia praeveniant perturbationes, et confusiones, quae oriri possint.

Praefatis Cantoribus pariter mandamus, Clericos omnes instruere in ritibus, caerimoniis, et decentia in Choro servanda, et cuique propriam vicem in sacris functionibus assignare. Insuper notam distinctam exarent illorum, qui vel Altari in missis solemnibus, vel caeteris sacris officiis assistere debeant; et hoc potissimum in Hebdomada majori, et in publica Sacratissi-

mi Corporis Christi expositione, tam in ejusdem solemnitate; quam in caeteris festis per annum; simulque de contumaci controvenctione. Nos quanto ocius admoneant ad opportuna remedia praestanda.

CAPUT XII.

De Vicariis foraneis.

Deliciae nostrae, ardensque desiderium foret in omnibus locis spiritualis nostrae jurisdictionis, personaliter permanere, ad prospiciendum propriis oculis, an disciplina tam Cleri, quam populi, recte se habeat; sed cum hoc nostrae circumscriptionis limitibus profecto repugnet, provvida Sancta Mater Ecclesia Episcopis indulsit in qualibet Ecclesia quosdam Ecclesiasticos seligere, qui pro ipsis sedulo invigilarent, et discolos, si irrepserint, corriperent: et tales Vicarios foraneos vocamus.

Cum ex sententia Sancti Doctoris Isidori, *ille qui alios de peccatis arguit, ipse debet esse a peccato alienus*; opus est, ut quisque Vicarius foraneus caeteros de Clero, et de populo, virtute, et sanctitate praecedat, cunctisque semetipsum formam vivendi praebeat, et ad virtutes colendas, doctrina, et exemplo provocet.

In primis sedulam navent operam circa Cle-

ricorum mores, nostrarum Synodalium constitutionum observantiam, et decreta in Sancta Visitatione, et edicta ad unquem in Clero serventur; in casu controventionis quemque Clericum inter se, et ipsum solum corripiat; si inobediens videatur, ante duas, vel tres pias personas correptionem adhibeat; postea si omnia haec inutilia evadant, omni humano respectu, passione, et livore posthabito ad Nos referant. Nostra intentio est, ut scandala, contentiones, et jurgia evitentur; et tam in Clero, quam in populo, unitas spiritus in vinculo pacis servetur.

Non sint canes muti, si scandala publica, sponsosque nimis familiariter conversari, et simul cohabitare pernoscant; et in Status liberi compilatione, de eorum cohabitatione, et intrinseca consuetudine, Nos admonere satagant.

Denique omnibus Vicariis foraneis expresse mandamus, in omni bimestri, per epistolam specimen de malis Nobis exhibere, quae et in Clero, et in populo serpere cognoverint; secus rati sint a Nobis, ob neglectum, vel desidiam, officio destitui.

CAPUT XIII.

De bonorum Ecclesiae administratione, et de Procuratoris officio.

Ecclesiarum bona, Patrimonia pauperum, vota fidelium, ut peccatorum pretia vocantur. Ideo talium bonorum usurpator, non solum sacrilegus, sed etiam a *Concilio Tridentino Sess.* xxii. *Cap.* xi. *de reform.* anathemate plectitur. Sapientissimo consilio igitur novissimum Concordatum cavit, Ecclesiestica bona non esse alienationi obnoxia, et a duabus Supremis Potestatibus defensa.

Mandamus infra quatuor menses inventarium in duplici speditione confici, quorum unum in Nostrum Archivium Episcopale remittatur, alterum penes Clerum remaneat; et haec in omni decennio renovari praecipimus.

Omnes, ratione Beneficii, rustica praedia possidentes, vel sint simplices administratores, prohibiti sunt vendere, donare, permutare, transigere; et in emphyteusim, in pignus dare, vel super illa servitutem, hypothecam, canonem instituere, absque solemnitatibus a Sacris Canonibus, et a Legibus vigentibus praescriptis; et eo minus, illis, qui sunt in fundo contigui. In casu controventionis, nedum actus irriti erunt; verum etiam ad damni reparationem teneantur.

Idquod de fundis rusticis statuimus, etiam de Censibus Bullaribus intelligatur, et sic de reliquis, quae ad Ecclesiam pertinent.

Imponimus etiam, ut infra anni spatium in omnibus fundis agrestibus, limites cum stabili, et permanenti signo apponantur.

Omnes Beneficiarii administratores bonorum, ut supra, pro viribus studeant illa augere, meliorare, memores verborum, quae in Levitico, Cap. 1. leguntur. *Terra mea est, et vos advenae, et Coloni mei estis.*

Talium bonorum Procuratores, et administratores, tamquam Tutores, et Curatores se gerant, et juramentum de fideliter administrando, et rationem reddendi, quotannis praestatur.

Procurator Capituli, vel Cleri, singulis annis, vel per gyrum, vel per suffragia secreta eligatur; prout cujusque Ecclesiae consuetudo, et hic non amplius anno exerceat. Ab hoc onere Archipraesbyteros Curatos, chronicos valetudinarios, et qui ad annum septuagesimum pervenerint, dispensamus.

Anno Procurationis exacto computa reddantur a duobus Rationalibus ab ipso Capitulo, vel Clero capitulariter per suffragia secreta electis, et rationalium sententia ad Nos, ut approbemus, remittatur. Ad omnem fraudem evitandam, juxta Concilii Trid. statutum, regiasque sanctiones, etiam illa computa, et piorum

locorum irrita declaramus, quibus Deputatus Ecclesiasticus a Nobis selectus, non praeerit.

Summa, quae ex punctatura resultat, inter participantes, sine nostra adprobatione, non dividatur, gratia determinandi usum, prout in Conc. Trid. et Codice civili, statuitur.

Denique in praesenti Synodo, omnes praestationes, quae a Clericis in sacris nostrae Dioecesis solvi solent pro Sacristia, ut dicunt, confirmamus, et adprobamus; mandantes, ut praedictae praestationes, non in manibus actualis Procuratoris dentur, sed alteri Sacerdoti a Clero capitulariter electo, qui infra annum, cum ejusdem Cleri consensu, pro necessariis sacris suppellectilibus, eroget. Si anno expleto omnia haec non impleverit, tali officio destituatur, et ad restitutionem exacti adigatur.

Si quis Beneficiarius, Cappellanus sive alius administrator, bonis Ecclesiasticis se abdicaverint, statim a Clero capitulariter collecto, duo Deputati destinentur, et dummodo ob ejus negligentiam, aliquam jacturam observent, si vivens ad reparationem damni, obstringatur, secus ejus haeredes cogantur. Haec Deputatorum electio, sit annualis, gratis exerceant, et omnium bonorum limitum, curam habeant.

A praedicta electione excipiantur illi, ut supra, de Procuratoris officio.

CAPUT XIV.

De Archiviis Capitularibus, et Cleralibus.

In Nostra prima Pastorali visitatione, invito animo, in pluribus Cleris Archivia inordinata reperimus. Post nostra paterna monita, Sacerdotum docilitas ex aliqua parte reordinavit. Nihilominus, lustro elapso, notabiles mutationes contingisse, nemo non videt. Hinc cum bonorum Ecclesiae securitas ex Archiviorum sistemate, et registro pendeat; et cum ipsa, Bonifacio I. testante, sint consuetudinum immortalia monumenta, et bonorum omnium, quae Ecclesiae possident, ideo tam Capitulo, quam Cleris, mandamus, ut infra sex menses, Archivia in ordine ponant, et omnium Tabularum existentium, distinctum album exarent, ejusdemque copiam, infra hoc spatium ad nostram Curiam Episcopalem transmittant.

Archivista cautus ad annum eligatur; et quia in omni anno mutationes evenire possunt, praefatus, de ejusmodi mutationibus, in fine anni, faciat nos certiores.

CAPUT XV.

De conferentia Casuum Moralium, et sacrae Liturgiae.

Ut Ecclesiastici in morum disciplina, pro populis regendis apprime erudiantur, et ad rectam Sacramentorum administrationem, caeterasque sacras functiones digne, et decenter peragendas, idonei evadant, Concilium Romanum tit. xv. cap. ix. praecipit, ut saepius conferentiae in Morali Theologia, et in sacra Liturgia instituantur. Prae oculis habeant Sacerdotes nostri, Apostoli documentum, qui ait: *attende lectioni, exhortationi, et doctrinae.*

In Domino igitur praecipimus omnes Cleros, bis in quolibet mense in Sacristia congregatos, Casus Morales de conscientia, et Liturgicos resolvere. Capitulum nostrum hoc idem adimpleat in toto residentiae tempore; ut reliquis de Clero norma sit, et exemplum.

Eligatur Sacerdos, cujus partes sint, notam distinctam tam praesentium, quam absentium tenere, quae a Nobis revidebitur. Innotescat omnibus decisio illa Congregationis Concilii, cogens, ut ad Sacram Conferentiam interveniant.

Quisque Sacerdos accurato studio se praeparet ad quaestiones morales, et Liturgicas discutiendas, et invitatus a Praefecto, suam sen-

tentiam proferat: Similiter faciant caeteri Ecclesiastici ab eodem Praefecto invitati. In fine discussionis, Praefectus suum sensum aperiat, et in particulari libro registretur, cujus Vicarius foraneus copiam extrahat, et ad Nos mittat.

Nemo a Sacristia discedat, nisi prius fiat lectio spiritualis, et interim omnes sileant.

Optamus, ut omnes Parochi, semel in hebdomoda Clerum colligant, et saltem per horae spatium, Sacram Bibiam, legant, et explicent; reminescentes, quod Apostolus enuntiat his verbis: *Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, et ad corripiendum*; et Sanctus Gregorius Magnus: *disce cor Dei, in verbis Dei.*

CAPUT XVI.

De Regularibus.

Ex sincero animo fatemur, Nos omnes Regulares obsequio, et amore prosequi; quia in ipsis inclytas fundatorum personas intuemur, et quia cum sacerdotio, si habitum solum, et quasdam peculiares regulas, excipias, comune votum habent, idem objectum, non disparem finem, scilicet gloriam Dei promovendi. Execrandae sunt igitur linguae illae maledictae, novitates putentes, quae Regulares tantum numerum

esse, et fruges consumere natos, blasphemant. Spiritus sancti instinctu ordines Regularium prodierunt; etsi quis forte a recto tramite deflexerit, non sequitur inde institutum, et omnes Monachos malos esse; etenim juxta Logicos Canones, ab individuo ad speciem, non recte arguitur. Hinc omnes Clericos, et Laicos nostrae Dioecesis, hortamur, condigno honore Regularium personas venerari; nam si Apostolus jubet cunctis honorem, et obsequium praestari, eo magis hominibus Deo dicatis, et insignia sanctorum gestantibus, tribuendum est.

Sapientiam Summorum Pontificum commendamus, qui vetustis Ecclesiae moribus freti, et potissimum Concilii Tridentini auctoritate, declararunt, Regulares ab ordinaria Episcopali potestate exemptos, et propriis legibus ab ipsorum fundatoribus statutis, viverent, et hoc in dubium revocari temeritas esset. Caeterum meminerint Regulares Episcopis obsequium impendere, qui sunt Apostolorum successores, et a Deo immediate positi, suam Ecclesiam regere; de eisdem, Cipriano testante, in Epistola XI, ac XXVII his verbis: *Honorem Sacerdotii sui, et Cathedrae reservare cum Divina lege fundatum sit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem positos gubernetur.* Hoc posito, ab omnibus Regularibus in nostra Dioecesi degentibus sciendum est, quod sicut in mul-

tis casibus a nostra Episcopali jurisdictione eximuntur; ita etiam in plurimis Nobis, tamquam Delegatis Concilii Tridentini, et Apostolicae sedis, absque dubio subjecti sunt. Apposite hic verba Sacrosancti Tridentini Concilii *Sess.* xxv *cap.* xiv *de Regularibus referimus* (*a*).

Regulares, qui in hac nostra Dioecesi audire confessiones optant, accomodari se debent legibus a Nobis circa hujusmodi objectum praescriptis, Nobisque literas testimoniales ipsorum superiorum exhibeant, quibus hoc munus antea laudabiliter exercuisse appareat; et juxta Concilium Romanum *Tit.* 32 *cap.* 2, ut peritissimos in moralibus scientiis, innocentia morum, et vita exemplari praeditos esse, ad tantum officium obeundum, clare innotescat.

Sit omnibus Regularibus professis, tamquam Paradisus cella ipsis a Divina Providentia concessa, neque cogitent iterum in illum infamem

---

(a) *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monisterii degit, et extra ea notorie deliquerit, ut populo scandalo sit; Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit.*

Aegyptum redire, unde per suam misericordiam eduxit.

Nefas sit cuique Regularium circuire per domos, nisi ad audiendas alicujus infirmi confessiones, si Confessarii sint, vel nisi vera necessitas, et utilitas proximi urgeat, et in hoc casu non solus, sed cum socio pergat, sicut sanctae, et sapientes regulae Monastici instituti praecipiunt. Item recordamus neminem per vicos, per plateas, et per loca vagari, quia hujusmodi dissipatio, quam maxime a vita monastica abhorret. Non incongrue cuidam Regulari D. Bernardus ajebat: *Monachus, idest solus. Quid ergo facis in turba tu, qui solus es?*

Laici, qui dicuntur Quaestuantes, dum per oppida victum mendicant ostiatim, non audeant domos ingredi, sed ante januam eleemosynas humiliter attendant.

In Domino quoque ipsos hortamur in domibus suspectis non pernoctare; sed vel veniant ad Nos, ubi residemus, vel ad Parochos locorum.

Quindecim elapsis diebus extra Monasterium, vel redeant ad proprios Superiores, ut Sacramentum Poenitentiae, et Eucharistiae recipiant, vel de eorum venia, idem adimpleant in Parochia illius loci inveniuntur; et id in Missa Conventuali, pro bono exemplo fidelibus. Quotidie Missae sacrificio, et quotidianae visitationi San-

ctissimi Sacramenti intersint, ut Christi bonus odor sint in omni loco.

Vestigia Sancti Paschalis Baylon, et Sancti Felicis a Cantalicio prosequantur, qui ubique magis Apostoli, quam mendicantes videbantur.

CAPUT XVII.

De Eremitis vulgo Oblatis.

Non immerito suspicamur, fore plerosque Oblatorum, qui non recte intentione Deo serviendi; sed potius ad turpem quaestum, et otio indulgendum hujusmodi officium exerceant. Qua de re mandamus, ut nemo in hoc pium exercitium se intrudat, nisi nostram expressam veniam in scriptis obtineat, quae concedetur, postquam Parochus, et Clerus testimonium, juramento firmatum, de vita, et moribus oblati, ad Nos transmiserint.

Oblati singulis diebus orationi vacent, devote Missae sacrificio assistent, et in quolibet mense post quindecim dies, Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentum digne suscipiant.

In loca solitaria, ubi morantur, mulieres quascumque non introducant, nec personas immorales, et praecipue fugitivos, latitantes, et sicarios cujusque generis admittant.

Absque nostra licentia non liceat Oblatis per

oppida Nostrae Dioecesis pergere mendicantes, et sine debito permissu Superioris civilis, juxta leges vigentes. In fine cujusque mensis, in manibus Archipraesbyteri curati, vel Procuratoris illius Cappellae, cui serviunt, rationem reddant de collectis eleemosynis, ut fidelium pietas, qui vel animabus defunctorum prodesse cupiunt, vel vota propria satisfacere, nullatenus fraudetur. Nostra intentio quoque est ut nos in Sancta Visitatione Pastorali, judicare possemus, an debeant in exercitio Oblati perseverare, vel removeri expediat.

CAPUT XVIII.

De Confraternitatibus Laicalibus.

Nostra quoque interest Laicorum Sodalitates visitare, earumque Constitutiones, et Regulas recognoscere, prout in Conc. Trid. *Sess.* 22 *de reform. Cap.* 8 sapienter cautum est. Quocirca non parum confert, hic quaedam monita pro bono ordine praebere.

In primis omnis Laicalis Congregatio, suis Constitutionibus, et Regulis, cum debita adprobatione, regatur; et si forte desint, quam primum, ut approbentur, invigilent. Pariter quaevis Laicalis Sodalitas, proprium Cappellanum Sacerdotem in doctrina, et moribus, a Nobis

approbatum, habeat, qui singulis diebus festivis, fratres instruat in Christianis officiis, regularum observantia, et in reliquis piis exercitiis, quae in Confraternitate adhibentur.

Vetamus in Congregatione admitti Fratres, qui moribus corruptis sodalitati sint probro, et scandalo; sed tantum illos, qui bona vita, fama, et christiano exemplo, sint ejusdem ornamentum, et decus. Si quis de electis in vitia declinaverit, post trinam correptionem, nisi resipiscat, de confratrum numero, illico deleatur.

Quoties ad sacras functiones invitantur, induant se propriis saccis talaribus, sine aliquo ornamento in extremis, propriisque insignibus, juxta Statuta cujusque Congregationis, et ea sint nitida, et non sordida, adeo ut risum moveant. Praefata fratrum indumenta in Scriniis Congregationis asserventur, vetantes illis abuti in plateis, in atrio Ecclesiae; sed tantum in functionibus intra ipsam Ecclesiam, et in processionibus utantur.

Dum sacras functiones exercent, modestis oculis, et corde in Coelo fixi, quae Dei sunt cogitent, populumque bono exemplo aedificent.

Circa congregationes studentium, a nostro religiosissimo Rege institutas, hortamur Praefectos ut bis in mense curent, ut capaces adolescentes, Sacramentum Paenitentiae, et Eucharistiae suscipiant. Non negligant assiduis, et dul-

cibus colloquiis, illos ad amorem Jesu Christi, et ad teneram devotionem erga Deiparam allicere, odiumque, et abominationem inspirare adversum seducentes saeculi opiniones, et novatorum, qui licet irrito conatu, Christi Religionem, Regisque Solium, subvertere nituntur.

CAPUT XIX.

De Processionibus.

Sancta Mater Ecclesia ad filiorum spirituale comodum jugiter intenta, Processiones saluberrimo consilio instituit, ut cum his pro tot beneficiis, quibus fideles quotidie cumulantur, Deo grates rependerent; scelestorum lacessitum injuriis placarent, et ab ipso in adversis opportunum auxilium consequerentur. Sed quia animi nostri consternatione, sine modestia, et indevote processiones fieri cernimus; itaut magis iram Dei provocent; ideo quaedam monita, ut rite adimpleantur, praebemus.

Canonici, Sacerdotes, Regulares, et Sodalitatum Fratres; bini, et bini in processionibus magna cordis devotione incedant. Deinde sequatur populus, mares post Clerum, inde mulieres, et omnes pietatem, modestiamque praeseferentes, ut omnia quae a Deo digne postulant, efficaciter consequi possent.

Absque nostra licentia in scriptis, quae gratis dabitur, novae Processiones non instituantur; consuetas vero de nostrorum praedecessorum venia, confirmamus. Item estraneas, et longi itineris prohibemus, quia sine debita devotione, et decentia exequi, valde probabile est.

In Processionibus ritualibus, veluti in Litaniis majoribus, et minoribus, et in solemnitate Corporis Christi, quae sunt a jure institutae, nostra venia opus non est. Ad praedictas processiones, omnes Cleri, et juxta Trid. et Sacrae Congregationis responsa: omnes Regulares, et Sodalitates accedere tenentur; sicut etiam ad illam Bullae Cruciatae, et ad omnes alias a nobis indictas. Tam Clerus, quam Regulares, et Confraternitates propriam crucem bajulent. Regularium Crux ab hasta pendentem habeat pannum cum Sancti Fundatoris effigie. Illa Sodalitatum sit retro panno, vel velo contecta. Confratres induantur sacco talari, sine ullo ornamento in estremis, caeterisque solitis insignibus, prout fuere concessae.

Insuper hoc loco mandamus, ut omnis processio ab Ecclesia Cathedrali, vel majori cujusque loci exeat, et ad eamdem revertatur. Inter Sodalitates praecedentiam habeat illa, quae est antiquioris institutionis, prout ex piissimi nostri Regis decreto statuitur.

In Cathedrali Ecclesia, et in eadem Cor-

poris Christi processione dignitates, et Canonici, dumtaxat pluviali induantur, cereum accensum gestantes. Simplices vero Sacerdotes, et Clerici superpelliceo super habitum talarem induti procedant. Hoc intelligitur quando Clerus cum Capitulo associatur, nam in propriis Ecclesiis, omnes Sacerdotes etiam pluviali, et planetis utantur.

CAPUT XX.

De Exequiis Defunctorum.

Inter aeternam Beatitudinem, suppliciumque sempiternum, medium dari locum, sacrae paginae, Traditiones, et Ecclesiae comitia, evidenter suadent. In hoc tertio loco fidelium defunctorum animas detineri, quousque levibus maculis per ignem purgentur, et temporali poenae, quae in via luendi superfluit, satisfaciant; illasque viatorum precibus, piisque exercitiis juvari posse de fide quoque tenendum est. Quapropter provide Sancta Mater Ecclesia exequias deprecationes innumeras, et alia, quorum ope animae purgantes, vel refrigerium, vel liberationem a poenis consequerentur, instituit. De tam magnis pietatis operibus erga defunctos, quidque statuere Episcopali pondere praemimur.

Si quis de nostra Dioecesi ex hac vita in horis diurnis migraverit, usque ad primam no-

ctis, ad signum funeris semel, vel plus juxta locorum consuetudinem, campana major pulsetur, ut fideles pro defuncto fervidas preces ad Deum effundant; et illis, qui Psalmum *De Profundis* recitaverint quadraginta dies de vera indulgentia impartimur; reminiscentes quia *sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur, veluti in lib. Machabeorum legitur.*

Mortuorum cadavera in naturali lectho, non tumulentur, nisi post duodecim horas, si vero repentine, vel violenter decumberint, juxta piissimi Regis decretum, post horas vigintiquatuor.

Statim ac Summi Pontificis mors innotuerit, per novem dierum spatium, campanae luctuose pulsentur; et omnes Cleri, majori quo possint apparatu, officium defunctorum, Missamque solemnem celebrent, et quisque Sacerdos unam privatam pro extincto Pontifice dicat. In morte nostra, Nostrorumque successorum, campanae pariter per tres dies indicent funebre signum, in omnibus Parochialibus Ecclesiis. Ab omni Clero tres nocturni cum Laudibus defunctorum, et tres Missae solemnes cum absolutione, juxta Pontificale Romanum, possibili, et funebri pompa, cantentur. Item singuli Sacerdotes unam Missam privatam applicent pro defuncto Episcopo; memores illius moniti Apostoli ad Haebreos: *Mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis lo-*

cuti sunt Verbum Dei, *quorum intuentes exitum conversationis*, *imitamini fidem*. Volumus etiam, ut in Sacerdotum obitu, funebris pompa sit etiam distincta; justum est enim, ut qui in Ecclesia ministraverunt, ab eadem in eodem funeribus digno honore prosequantur. Item adprobamus, et confirmamus, laudabilem consuetudinem, a Nobis, in hac Dioecesi repertam, idest Missarum celebrationem ab unoquoque Sacerdote pro singulis Dioecesis Praesbyteris defunctis, quatenus ipsi in vita idem officium praestiterint.

Post exacta funera Summi Pontificis, et proprii Episcopi, Capitulum, et Cleri, post nonam dicant Hymnum *Veni Creator Spiritus*, cum versiculo, et oratione convenienti. Ubi vero Horae Canonicae in Choro non recitantur, in serotina visitatione SS. Sacramenti adimpleant, usque donec vel Summus Pontifex, vel Episcopus eligatur; nam bonus Pastor piae, et devotae orationis fructus est.

Quoad sepulchra, observetur quod leges civiles statuunt. Monendum tantum superest defunctorum consanguineos, lacrymas, ejulatus, clamoresque in suorum funere inanes esse. Igitur potius ploratus vertant in preces ad defunctorum suffragium; nec non ab extero abusivo luctu, et a sordidis vestibus, quae gentilitatis sapiunt, se abstineant; et reminiscantur verborum Apostoli ad Thessal.: *Nolumus vos, ignorare de*

dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent.

Circa taxam funerum, dummodo limites non excedat, Ecclesiarum consuetudo attendatur. Monemus tantum Sacerdotes nostros, egenorum rationem habere, quia si charitas ab omnibus, praecipue a Sacerdotibus exercenda est.

Reliqua de funeribus sint ad Ritualis Romani normam.

CAPUT XXI.

De Festorum observantia.

Personarum, temporum, et locorum Creator Deus supremum dominium habet; ideo sicut inter homines, Clericos selegit, qui peculiariter suo Divino obsequio inservirent, et inter mundi spatia quaedam loca, templa videlicet, suo cultui sacravit, ita pariter inter tempora quosdam sibi dies, qui Festivi appellantur, reservavit, et in his creaturis rationalibus, omni saeculari negotio intermisso, praecipit, ut uni Deo, et negotio aeternae salutis tam necessario, sedulo vacent. *Nullum opus servile facietis in eo.* At homines innumeri, decepti cupidine falsa, cum potissimum pro collatis donis pensum Deo persolvere debeant, et aeternae saluti consulere, tunc magis saeculi sollicitudinibus implicantur, oculosque, ne videant Coelum, avertunt.

Qua de re Parochos in Domino hortamur saepe saepius populis patefacere, quod sicut dies Festos custodientium labores, et industriae in sex dierum curriculo benedicentur, sic ex adverso violatores Divinam provocant indignationem, et super ipsorum opera Dei maledictio irruet, juxta Ezechielem.

Quoniam in diebus festis, ex Divino praecepto ab operibus servilibus abstinendum est, et de Ecclesiae mandato, Missae sacrificio praesentia physica, et morali interesse tenentur, animarum Rectores de utroque, quam saepissime, instruendi onus habent. Explicent luculenter quaenam sint opera servilia, quae in Dominicis, et festis exerceri non possunt. Explicent causas a tali praecepto excusantes, quae ut Sacra Congregatio die XI martii 1061 declaravit, tres sunt videlicet: *Cum pietas suadet, cum necessitas urget, cum publica utilitas exigit.* Hae tamen non a Parochianis, sed a proprio Episcopo, vel saltem a Parocho locali, quem consulere debent, agnoscendae sunt, utrum subsistant, nec ne.

Insuper populum edoceant non sufficere ad diei festivi sanctificationem solam a servilibus vacationem, et missam audire; sed moraliter solidam diei partem in pietatis operibus insumendam esse; etenim Deus nequaquam praecipit a corporalibus laboribus desistere, ut otio, quod est malorum omnium radix, torquamus; sed ut

diem festum orationibus, meditationibus, et caeteris piis exercitiis sanctificaremus, ut David Propheta illis verbis testatur: *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus.* Igitur fideles ad missam Conventualem, et ad verbum Dei a proprio pastore audiendum, conveniant, ad sacramenta poenitentiae, et Eucharistiae accedant, Visitationi Sanctissimi Sacramenti intersint; et praecipue talibus diebus actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis devote eliciant.

Expresse in diebus Festivis vetamus ludrica spectacula, Comaedias, saltationes, scurrilia, et praecipue, quae obscaenitatis sapiunt, quia omnia haec sunt Diaboli inventiones ad Divinum Cultum impediendum. Pari modo, juxta etiam Regis mandatum, rigorose in *Domino Jesu Christo,* praecipimus, ut in toto die Festivo cauponae claudantur, quae Satanae officinae non immerito vocantur. Si ad victum diurnum aliquid emi, vel vendi occurrat, ostium sit ex medietate occlusum, ne libertini, et vino dediti, ad ludendum, et potandum, ingrediantur.

Absit omnino, ut in diebus Domini, qui undique, prae reliquis sanctitatem redolent, fideles magis in vitiorum coeno se sternant. Horrendum etenim, et monstruosum est illum diem flagitiis foedare, qui in Fidei, Spei, Charitatis operibus transigendus est.

CAPUT XXII.

De Jejunio.

Innumera propemodum sunt praeconia, et emolumenta quae sacrae paginae, et Sanctorum Patrum volumina de sacratissimo Jejunio enuntiant, et cuncta hoc loco enumerare supervacaneum esset. Sufficiat Nobis Ecclesiae documentum, cujus oraculo noscimus per *Jejunium vitia comprimi, mentem nostram sursum elevari, virtutesque, et praemia jejunantibus Coelestem Patrem largiri.* Quapropter Parochi explicent populis uberrimos jejunii fructus, et in ipso arma, et scutum inexpugnabile contra tela inimici, Christianos habere, prout Christus proprio ore in Evangelio docuit: *Hoc genus Daemoniorum non ejicitur, nisi in oratione, et jejunio.*

Pariter Curati commissam plebem doceant, jejunii substantiam non solum in abstinentia ab escis carnalibus sitam esse, sed potius in jejunio a culpis, et peccatis. Insuper ostendant, quam sit Deo gratum, eleemosynis impendere, quod subtrahunt voluptati, uti S. Leo Pontifex docuit dicens: *Fiat refectio pauperis abstinentia jejunantis.*

Omnes, qui ob aegritudinem cibis esurialibus vesci nequeunt, prius a Confessario, quam a Medico dispensationem requirant; omnimode

servantes clausulas a Summis Pontificibus praescriptas, videlicet de non violanda forma jejunii, et de non miscendis epulis.

Cum jejunii essentia in unica comestione consistat, sciant Fideles, non posse in coena ad libitum comedere. Licet Ecclesia Mater, ob humanam imbecillitatem serotinam collatiunculam permittat; nihilominus cibus tantum esurialis octo, et ad summum decem uncias, ob parvitatem materiae, juxta doctrinam *B. Alphonsi M. de Ligorio*, excedere nequit.

Observent jejunantes horam praescriptam unicae comestionis, quae in meridie est, et praeter istam potiones cum lacte mixtae prohibitae sunt. Ab hac regula excipiendi sunt, qui ex consilio Confessarii, et Medici, loco medicinae talibus potionibus utantur. Qui a carne sunt dispensati, semel in unica comestione conceditur comedere; et sic de caeteris cibis, quae a carne originem trahunt.

Optamus ut omnes Christifideles indultum Bullae Cruciatae recipiant, in quo thesaurum infinitum indulgentiarum lucrantur, per quem ob *Jesu Christi* merita Fideles omnes sacratissimi jejunii fructus consequi valent. Ideo tam Parochis, quam Concionatoribus Quadragesimalibus injungimus, ut de mirabili Bullae Cruciatae beneficio verba faciant, et auditores excitent ad visitationes quinque altarium, quotidie

in Quadragesima, et in caeteris statutis diebus, obeundas.

CAPUT XXIII.

De Oratoriis privatis.

Quamvis de jure comuni tantum in Ecclesiis, publicisque Sacellis Sacrum facere liceat; attamen privilegio ab Apostolica Sede concesso, possunt Sacerdotes in aedibus privatis, seu in domesticis Oratoriis celebrare. Ut quisque tali privilegio fruatur, tria requiruntur, videlicet Pontificium indultem, Regius assensus, et proprii Episcopi inspectio, ad dijudicandum, utrum locus privati Oratorii sit decens, et sacra paramenta quae ad usum Sacrificii sunt necessaria.

Sacerdos in domestico Oratorio celebraturus, in antecessum Breve Apostolicum attente legat, ad cognoscendum quid ipsi liceat, nec ne.

In festivis diebus non omnes, qui missam audiunt in Oratorio privato, Ecclesiastico praecepto satisfaciant, sed illi dumtaxat, qui in Pontificio indultò numerantur.

Sit in Oratorio privato suspensus Cathalogus festivitatum solemniorum, in quibus celebrare vetatur, nisi privilegium nimis amplum sit, et extensum.

Sciant familiae hoc privilegio gaudentes, non

sufficere pro observantia diei festi, simplicem missam audire, sed, prout alio loco diximus; oportet, ut saepe saepius adeant Ecclesiam Parochialem, ad verbum Dei in missa Conventuali audiendam; ad visitationem Sanctissimi Sacramenti, et ad reliquas functiones, ut operibus pietatis insistant, quae in praecepto sanctificationis diei festivi includuntur.

CAPUT XXIV.

De Usurariis.

Cum pene omnia mortalium pectora cogat auri sacra fames; hinc est quod ingemiscimus mundum sordidis avaris redundare, qui nulli boni sunt, sibique pessimi. Ex hoc capitali vitio tot fraudes, criminosae negotiationes, et mille usurarum genera, undique grassantium, oriuntur; itaut cum Psalmista dicere cogimur, *quod de plateis nostris non deficiat usura, et dolus.*

Ut tanti vitii pravitas innotescat, idem adversus omnia jura clamant. Usura jure naturali proscribitur, quia in contractu aequalitatem cum justitia necessario connexam, destruit. Proscribitur Jure Divino, prout in multis Scripturae locis, et potissimum in Evangelio Christus proprio ore damnat dicens: *mutuum date, nihil inde sperantes.* Jure humano, in quo manifesti

usurarii viventes a sacra communione arceantur, et defuncti ecclesiastica sepultura priventur, adjectis poenis canonicis censurae ferendae sententiae contra laicos, et suspensionis in clericos, nisi damna illata illico reparaverint.

Quocirca, si omni lege usurae facinus reprobatur, certatim animarum Rectores, et Sacri Ministri, contra ipsam usuram, usque ad navim inclament, ut a nostra Dioecesi eliminetur, ne tamquam lepra Giezi in posteros trasfundatur.

Nomine usurae intelligimus, omne lucrum vi mutui immediate proveniens, vel pecunia sit, vel aliquid pretio aestimabile. Quoties igitur res mutuatur, sive de illis, quae usu consumuntur, ut olea, vina, segetes, sive de illis, quae distrahuntur ut pecunia, cum pacto vel tacito, aut expresso aliquid ultra sortem recipiendi, usura committitur.

Damnamus tamquam usurarios, vel saltem usurae suspectos, omnes contractus, in quibus aequalitas non servatur. Hujusmodi est emere minoris justo pretio, ob anticipatam solutionem, vel ab dilatam, pluris justo vendere; necnon usurarum conversio in capitale, quam anatocismum, sive usuram usurae appellant. Idem dicimus de illicitis contractibus societatis, veluti si quis pecuniam, vel animalia in societatem conferens, cum socio paciscitur, ut in quovis eventu semper sua sors salva sit. Quis non videt hanc conventionem

injustam, et usurariam esse? Et revera cum res, quae fortuito perit, ex omni lege domino pereat, quia sors principalis, puta pecunia, animalia, aliaque in dominio sunt illius qui in societatem confert, ipsi quoque perire certum est, quam certissimum. Insuper declaramus labe usurae infectum contractum, quem Theologi vocant Mohatra, idest venditio alicujus rei ad creditum pretio supremo, cum pacto reemendi eam pecunia numerata, pretio infimo, et hoc apparet ex propositione ab Innocentio xi. proscripta, quae illum asserebat licitum. Injustum pariter declaramus pignus cum pacto dicto antichriseos, in quo mutuans cum mutuatario paciscitur uti, et frui ejus refrugifera, usque donec mutuatarius pecuniam suam retineat, quia secluso alio titulo, fructus ultra sortem percipiuntur, in quo usurae essentia reponitur.

Omnes nostri Confessarii cauti sint in negotiatorum confessionibus audiendis. Accurate perpendant contractuum qualitates, et si in illis usurae vitium agnoscant, minime absolutionem conferant, nisi prius satisfecerint, vel dederint cautionem; alioquin illorum iniquitatis participes fient.

Solent usurarii negotiatores eorum conscientiam palpare titulis lucri cessantis, et damni emergentis. Modo quaedam conditiones necessariae serventur, titulos praedictos ab ususa excusare,

non inficiamus; quia nemo cum proprio detrimento beneficium praestare tenentur. Quapropter Confessarii scrupulosa diligentia, iterum, atque iterum explorent, an lucrum cessans, damnumque emergens reapse subsistat, et debitis conditionibus muniatur. Post maturum examen, titulis justis perspectis, ratione talium titulorum auctuarium exigatur. Pro censibus vero bullaribus non plus decem pro centum exigere concedendum est, ex doctriua plurium Theologorum, et B. Alphonsi Mariae de Ligorio, consuetudini in Regno nostro conformi, quae ab utraque potestate Ecclesiastica, et civili non improbatur. Quatenus mercatores in auctuariis examinato praefatam summam excedant, usurarii equidem censendi sunt, quibus nisi post reparationem, vel praestitam cautionem, ut supra, haud impartienda et absolutio.

Quoniam usurae flagitium tam in Laicis detestatur, profecto in Ecclesiasticis scandalosum, turpissimum, et execrabile est. Si ipsis etiam licita negotiatio est interdicta, quanto magis iniqua, et illicita?

Unusquisque Clericus corde recogitet, quod non pecunia, non turpis quaestus, non saeculum, sed *Jesus Christus* est ejus portio, quam sibi voluntariae a prima Tonsura elegit. Excutiatur ab illa Divi Hieronymi sententia: *Clericum ex inope divitem factum, ex Clerico merca-*

torem, tamquam pestem fuge. Mandamus ergo Vicariis nostris foraneis, ut de talibus Clericis Nos admoneant, utique nisi desistant, Canonicis poenis puniendis.

Expresse quoque omnibus nostris Sacerdotibus praecipimus, ut in mensibus junii, julii, et novembris, quolibet die festivo, supradictos usurarios casus fidelibus in missa legant, et explicent, quia fortasse ignorantia causa est cur tot illiciti contractus ubique exerçeantur. Repetant illis verba illa *Jesu Christi* in Evangelio: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae, detrimentum patiatur?*

CAPUT XXV.

De Concubinariis.

Inter omnia turpissimum est incontinentiae vitium, quia per illud homo a sui gradus nobilitate degenerat, et brutorum instar absque dubio operatur. Huic nostrae sententiae arridet Regius Propheta: *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

Malum fecundum vocant magistri in Divinis, moeretricium, quia multorum criminum fermentum. Malum insanabile, ob tenacissimam objecto voluptatis adhaesionem: malum ab infidelitate

non distans; et merito, quia a cordis corruptione ad illam intellectus facilis est semita: *Maechia est affinis idolatriae*, ut passim docent Patres.

Nostrum igitur, et vestrum est, Canonici, Parochi, omnesque Dei ministri, totos, incumbere, ut haec faeda contagio sacrum *Jesu Christi* ovile, non inficiat. Si nostris, vestrisque monitis, qui notorie in concubinatu versantur, dociles erunt, nos gaudebimus; secus vos Parochi, nulla mora interposita, facite nos certiores. Cum noster piissimus Rex, quem Deus incolumen servet, sit honoris Divini acerrimus defensor, nostraeque Religionis, et Ecclesiae Canonum vindex invincibilis, necessitate cogente, ejus brachium implorabimus, pro notoriis scortis evellendis; et nos ex nostro pastorali officio, juris ordine servato, censuras a sacris canonibus inflictas, et in novissimo Concordato confirmatas, exequemur, non ut personas, quae Nobis dilectae sunt, sed vitium puniamus.

SYNODI CONCLUSIO

AB EPISCOPO FACIENDA.

Gaudium, *et corona nostra*, charissimi Fratres, et Consacerdotes, en diu a Nobis optatae synodales constitutiones, quas pro nostri Cleri norma, et Populi, Episcopali auctoritate tradidimus. Superest, ut a Vobis, et reliquis, non coacte, sed spontanee, non poenae formidine, sed virtutis amore observentur. In hisce non nova mandata proposuimus; sed omnia ex divino, et canonico jure hausta esse, vestrae mentis acies, jam plene cognovit. Quemadmodum Nostra pastoralis sollicitudo, nihil aliud in hoc piò opere, nisi Dei gloriam, et animarum salutem respexit; ita obedientiae, et vigilantiae vestrae, nihil sit antiquius, quam votis nostris respondere. Vos qui in sortem Domini, et in partem nostri sacri ministerii vocati estis, ipsis non solum, sed aliis in spiritu prodesse oportet. Mementote igitur, quod non ad otium, non ad saeculi commercia, Vos omnes, misit Coelestis Agricola, sed ad improbos in Vinea sua labores; posuitque ut fructum afferatis, et fructus vester maneat. Haec semper cogitate; haec semper agite; haec assidue a *Domino Jesu*

Christo exposcite, qui per *suam misericordiam*, *idoneos Vos faciat novi Testamenti Ministros*, aptet Vos omni bono, et postea sit in Coelis vestra copiosa merces, quam cunctis Patris affectu annuntiamus, in nomine *Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti.* Amen.

Nicolaus M.a Congregationis SS. Redemptoris Episcopus Polycastri.

Paschalis Canonicus Greco pro-Vicarius generalis, et Rector Seminarii.

Laurentius Archidiaconus Pignatario prima Dignitas Cathedralis Ecclesiae.

Ego U. J. D. D. Joseph Joachim Myele olim Canonicus Theologus nunc Cathedralis Ecclesiae Cantor, et secunda Dignitas, ac Abbas S. Mariae Conceptionis.

Dominicus Canonicus Theologus Menta, et Vicarius generalis Bosci nullius, et Abbas S. Mariae ad Martyres.

Ego Franciscus Canonicus Polito de Rosa.

Antonius Canonicus del Duca.

Joannes Canonicus Colimodio.

Fabritius Canonicus Pecorelli.

Joseph M. Bortone Canonicus Poenitentiarius. Abbas S. Mariae Gratiarum.

Carmelus Canonicus Savino.

Nicolaus Canonicus Brundo.

Thomas Canonicus Galietti Sabini.

Franciscus Antonius Ligori Canonicus.

Nicolaus de Simone Archipresbyter Curatus Terrae Sicilorum.

Nicolaus Flora Archipresbyter Terrae Turracae.

Vincentius Cartolano Archipresbyter Curatus Terrae Turturellae, et Canonicus honorarius Ecclesiae Cathedralis.

Joannes Thomas Magliano Archipresbyter Curatus Lentiscosae.

Ego Vincentius Guida Archipresbyter Curatus Pudariae.

Ego Agnellus de Siervi Archipresbyter Curatus Aquae Venarum.

Ego Joannes Eboli Archipresbyter Curatus Terrae Saprorum.

Ego Franciscus Xaverius Petrapertosa Archipresbyter Curatus Civitatis Latheonici.

Ego Conus la Falce Canonicus honorarius Cathedralis, et Archipresbyter Curatus Casalecti.

Ego Nicolaus Bruno Archipresbyter Curatus Bactalearum.

Ego Ludovicus Giffoni Canonicus honorarius Archipresbyter Curatus Parochialium Ecclesiarum Vibonatorum.

Ego Josephus Mercurio Archipresbyter Curatus Camerotae.

Ego Abb. Josephus Maria Navarra Archipresbyter Curatus Matricis, et Majoris Ecclesiae S. Nicolai Civitatis Rivelli.

Ego Petrus Paulus Bortone Archipresbyter Curatus Roccaegloriosae.

Ego Josephus Maria Carrazzani Archipresbyter Curatus Matricis Ecclesiae S. Mariae Majoris Civitatis Rivelli.

Ego Nicolaus Cataldus Archipresbyter Curatus Ecclesiae Spanorum.

Ego Michael Angelus Sorrentini Canonicus honorarius Cathedralis, et Archipresbyter Curatus Terrae S. Joannis ad Pyrum.

Ego Joannes Baptista Grosso Archipresbyter Curatus Terrae Cellarum.

Ego Gregorius Finamore Aeconomus Curatus Terrae Rocchittae.

Ego Fortunatus Vallone Aeconomus Curatus Terrae Morigeratorum.

Ego Joseph Cantor Crispi Procurator Archipresbyteri Terrae Casellarum.

Ego Antonius Caputo Procurator Archipresbyteri Turris Ursajae.

Ego Gerardus del Vecchio Procurator Archipresbyteri Blasii del Vecchio Terrae Triclinae.

Ego Blasius Cobucci Hebdomadarius hujus Cathedralis Lector in Seminario Procurator Archipresbyteri Curati Lacus-Liberi.

Ego Joannes Viceconti Vicarius foraneus Procurator Archipresbyteri S. Nicolai Laureae sup.

Ego Josephus Giudice Cantor, et Procurator Archipresbyteri Terrae S. Marinae.

Ego Franciscus Xaverius Girardi Procurator Archipreshteyri Laureae inferioris.

Ego Petrus Pecorelli in Seminario Dioecesano Politiarum litterarum Magister Procurator Josephi Jannuzzi Rectoris Curati Terrae Castri Roggerii.

Ego Joannes Dominicus Sabbini Procurator Aeconomi Curati Parochialis Ecclesiae S. Chrystophori.

Franciscus Canonicus Polito de Rosa Secretarius.

Casus Episcopo Policastri reservati.

I. Blasphemia contra Deum, exprimendo proprie Deum, aut contra Jesum Christum, Virginemque Deiparam.

II. Abusus Sacramentorum, Sacramentalium, et cujusvis rei sacrae, ad superstitionis usum, in quo includimus etiam mandantes, consulentes, et cooperantes. Item quaelibet superstitio animo aliis nocendi, vel cum expressa daemonis invocatione.

III. Doctrinas profitentes, et disseminantes sive calamo, sive voce, quae ad Religionis Christianae, et subversionem Regii Solii tendant.

IV. Juramentum falsum in judicio, aut occultatio veritatis cum proximi jactura. Procuratio quoque ejusdem falsi juramenti, aut occultationis veritatis, etiam damno non sequuto.

V. Homicidium voluntarium, in quo comprehenditur mandans, consulens, et quovis modo concurrens.

VI. Procuratio abortus, foetus animati, vel inanimati: mandatum, consilium, et auxilium ad illum procurandum, licet effectus non sequatur.

VII. Detenctio infantum in proprio lecto antequam annum compleant, sine debita cautione repaguli ad periculum suffocationis evitandum, et hoc intelligitur non solum de matribus, verum etiam de nutricibus.

VIII. Incestus intra primum, aut secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis, aut cum personis cognatione spirituali conjunctis.

IX. Quaelibet impudicitia cum filia spirituali, quae saepius ab eo sacramentum Poenitentiae susceperit: quod si ab anno eadem mulier apud alium Sacerdotem peccata sua confiteatur, extra reservationem peccatum est.

X. Nefandum sodomiae scelus sive cum mare, sive cum faemina, sive consumatum, sive non, tam active, quam passive, necnon coitus cum brutis.

XI. Copula inter Sponsum et Sponsam post contracta sponsalia; parentum quoque, vel cujusvis domus curam habentis, cohabitationis, pernoctationis permissio cum periculo impudicitiae inter praedictos sponsos.

XII. Familiaris consuetudo sponsorum, post trinam visitationem, sive domi, sive in agris, et alibi; quod etiam de parentibus qui silent, et non impediunt, et de omnibus qui dant operam intelligitur.

XIII. Furtum sacrilegum rei sacrae.

XIV. Damnum datum incendio voluntario.

XV. Injuriosa incisio arborum fructiferarum, et ramorum earumdem, dummodo damnum excedat summam ducatorum trium.

XVI. Conficientes literas coecas, vel infamatorias, necnon libella famosa in grave praejudicium tertii.

XVII. Confessarii personas sibi confitentes ad turpia sollicitantes in actu Sacramentalis Confessionis, aut ante vel immediatae post, sive in loco, sive occasione, aut praetextu Confessionis, vel cum his turpia colloquia habuerint, statim ab audiendis Confessionibus noverint, se esse suspensos.

INDEX CAPITUM

QUAE IN HOC SYNODO CONTINENTUR.

Napoli 4 luglio 1831.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZ.

Vista la dimanda del tipografo Agnello de Dominicis, con la quale chiede di voler stampare un manoscritto intitolato: Synodus Dioecesana Polycastrensis sub praesulatu Illmi, et Revmi Domini Nicolai Mariae Laudisii;

Visto il favorevole parere del Regio Revisore signor D. Girolamo Canonico Pirozzi;

Si permette, che l' indicato manoscritto si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impress ione all' originale approvato.

Il Presidente
M. COLANGELO.

Pel Segretario generale
L' Aggiunto
ANTONIO COPPOLA.